This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

768K
F333
UC-NRLF
$B 14 029
YC 00549

EXCHANGE

SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII

EX LIBRIS

768k
F333

T.C.
F.U.
768K
EXCHANGE
MAR 19 1930

DE METONYMIAE IN EPIGRAMMATIS MARTIALIS VSV

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

RICARDVS FENGER
CREFELDENSIS

IENAE
TYPIS G. NEVENHAHNI
MCMVI

15

EXCHANGE

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Goetz.

JENA, den 9. Dezember 1905.

Professor D. Dr. Gelzer,
d. zt. Dekan.

De metonymia quam multiplex variaque apud Martialem inveniatur investigaturis nobis priusquam ad formas exponendas exemplisque illustrandas transeamus quae fuerint veterum metonymiae definitiones explanandum est. Quae cum iam saepissime ab iis qui de metonymia tractarunt collectae sint, ne mera repetitione nimis longi videamur, sententias auctorum qui sunt gravissimi protulisse satis habebimus.

Auctor ad Herennium [1]: *Denominatio,* inquit, *est, quae ab rebus propinquis et finitimis trahit orationem, qua possit intellegi res, quae non suo vocabulo sit appellata. Id aut (ab) inventor(e) conficitur .... aut ab invento, ut si quis pro Libero vinum, pro Cerere frugem appellet, aut instrumento dominum .... aut id, quod fit, ab eo, qui facit — aut si, quod facit, ab eo, quod fit .... Ab eo, quod continet, id, quod continetur ... denominabitur ... ab eo, quod continetur, (id, quod continet) ...* Atque Tryphon [2]: *Μετωνυμία ἐστὶ λέξις ἀπὸ τοῦ ὁμωνύμου τὸ συνώνυμον δηλοῦσα, οἷον σπλάγχνα δ' ἄρ' ἀμπείραντες ὑπείρεχον Ἡφαίστοιο· Ἥφαιστος γὰρ ὁ εὑρὼν τὸ πῦρ· καὶ ὅταν τὸν πυρὸν Δήμητραν εἴπωμεν. ἢ ἀπὸ τῶν εὑρόντων τὰ εὑρήματα, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τοῦ εὑρήματος τὸν εὑρόντα, οἷον οἶνός μ' ἔπεισε, δαιμόνων ὑπέρτατος.* Cicero [3]: *immutata (ea dico), in quibus pro verbo proprio subicitur aliud, quod idem significet sumptum ex re aliqua consequenti. Quod quamquam transferendo fit, tamen alio modo transtulit, cum dixit Ennius: 'arce et urbe orba sum' pro patria, alio modo, 'horridam Africam terribili tremere tumultu' cum dicit, pro Afris immutat Africam. Hanc ὑπαλλαγήν rhetores, quia quasi summutantur verba pro verbis, μετωνυμίαν grammatici vocant, quod nomina trans-*

1) IV 32, 43.
2) Spengel, Rhet. Graeci III p. 195.
3) Orator. 27.

851328

feruntur. Idem alio loco [1]): *Non est autem in verbo modus hic, sed in oratione, id est in continuatione verborum. Ne illa quidem traductio atque immutatio in verbo quandam fabricationem habet: 'Africa terribili tremit horrida terra tumultu'. Pro 'Afris' est sumpta 'Africa'; neque factum est verbum, ut: 'Mare saxifragis undis'; neque translatum, ut: 'Mollitur mare'; sed ornandi causa proprium proprio commutatum; 'Desine, Roma, tuos hostes' et: 'Testes sunt Campi magni' ... Gravis est modus in ornatu orationis et saepe sumendus; ex quo genere haec sunt: 'Martem belli esse communem', 'Cererem' pro frugibus, 'Liberum' appellare pro vino, 'Neptunum' pro mari, 'curiam' pro senatu, 'campum' pro comitiis, 'togam' pro pace, 'arma ac tela' pro bello; quo item in genere et virtutes et vitia pro ipsis, in quibus illa sunt, appellantur: 'Luxuries quam in domum irrupit', et: 'Quo avaritia penetravit'; aut 'Fides valuit, Iustitia confecit'.* Quintilianus [2]): *Nec procul ab hoc genere discedit metonymia, quae est nominis pro nomine positio [cuius vis est, pro eo, quod dicitur, causam, propter quam dicitur, ponere] sed, ut ait Cicero, hypallagen rhetores dicunt. Haec inventas ab inventore, et subiectas res ab obtinentibus significat, ut 'Cererem corruptam undis', et 'receptus Terra Neptunus classes aquilonibus arcet'.*

Sed haec hactenus. Harum autem ceterarumque definitionum diversitate factum est, ut eorum qui nostra memoria de metonymia scripserunt, sententiae minime congruant praesertim de finibus terminisque qui intercedant inter synecdochen, metonymiam, metaphoram. Quam ob rem copiam exemplorum, quae apud Martialem inveniuntur, iam desperarem ad certas classes posse revocari, nisi Lindskogius [3]) quae ratio instituenda esset me docuisset. Ab huius igitur divisione in hoc opusculo me non multum discessisse diserte fateor. Denique moneo figuras quae aeque in Martialis aliorumque poetarum operibus atque in prosa oratione reperiuntur quaeque eam ob rem minus aptae sunt ad Martialis ipsius elocutionem illustrandam me nihilosetius hoc loco non praeteriturum esse, cum in rerum conexu etiam minus gravia non sine incommodo desiderarentur.

---

1) De oratore III 42.
2) VIII 6, 23.
3) In tropos scriptorum Latinorum studia. Upsaliae 1903.

§ 1. His igitur praemissis ad primum, quod mihi proposui, metonymiae genus transeo, quod in eo cernitur, ut dei aut homines vel significandi causa appellentur vel ipsi significentur. Atque primum locos tractabo quibus dei vel homines significandi causa appellantur pro rebus quae sensibus percipiuntur. Initium duco ab ea forma, quae non solum apud poetas, sed etiam apud pedestris orationis scriptores saepissime usurpatur: dei enim ponuntur pro rebus, quas administrant reguntque vel quibus homines donasse dicuntur [1]. Exempla habes haec: Iuppiter legitur pro aëre IV 3, 3 [2]), pro imbre VII 36, 1; IX 35, 7; pro caelo XIV 112, 1. Pro sole exstat Phoebus III 45, 1; VII 12, 8; VIII 36, 9; XII 60, 2 (*sidereus deus*); Phaethon III 67, 5; pater (Sol) VIII 36, 10; Titan VIII 21, 7. Iris sumitur pro pluvia IV 19, 10; Aeolus pro vento X 30, 19. Pro mari adhibetur Nereus X 30, 19; Tethys Sp. 3, 6; X 44, 2; Thetis V 1, 2; X 13, 4; 30, 11; Oceanus X 44, 2. Nympha significat aquam VI 43, 2: *Dum tibi felices se indulgent, Castrice, Baiae Canaque sulphureis nympha natatur aquis.* Koestlinius [3]) quidem, qui Martialem negat in usu metonymiae eo audaciae progressum, cui talis dictio tribui posset, pro nympha scribi vult 'lympha', quam vocem saepe pro aquis salubribus concedendum est ab auctoribus usurpari: tamen hac coniectura quamvis lenissima facile carebimus; simillime enim dicit poeta VI 47, 1 sq.: *Nympha, mei Stellae quae fonte domestica puro Laberis et domini gemmea tecta subis;* qua metonymia illam, quae inest in versu VI 43, 2 insolentiorem vel audaciorem vix aut omnino non inveniri posse recte Friedlaenderus adnotavit. Pallas, inventrix olivae, ponitur pro ipso oleo VII 28, 3: *Nec Tartesiacis Pallas tua, Fusce, trapetis Cedat.* Simili sensu Palladium decus videtur usurpatum IX 23, 2: *Dic, ubi Palladium sit tibi, Care, decus,* i. e. corona aurea, cuius folia olivae frondes imitabantur, quamquam eadem voce significari vult poeta, coronam in quinquatribus Minervae donatam esse Caro victori. Huc accedit,

---

1) Plurima huius generis exempla composuit Friedlaenderus in adnotatione ad Spect. 12, 1.

2) In versibus citandis usus sum Friedlaenderi editione.

3) Philologi t. XXXVI (1877) p. 270.

quod Minerva sumitur pro bibliotheca V 5, 1: *Sexte, Palatinae cultor facunde Minervae.* Praeterea pro carminibus leguntur Musae vel Musa II 41, 21; 92, 2; VII 46, 5; VIII 82, 3; IX 26, 5; 99, 1; XI 1, 6; Camenae IV 14, 10; VII 68, 1; Pimpleis XI 3, 1; Thalia VII 17, 4; VIII 73, 3. Reliqua huius formae exempla haec sunt: Bacchus vel Lyaeus pro vino V 78, 18; XIII 22, 1; 23, 1; 114, 1; 118, 1; 119, 1; IX 61, 15: *Atque oluere Lares comissatore Lyaeo,* quo loco Lyaeum et mutata vi adhiberi recte adnotavit Friedlaenderus et propria, quae significetur voce 'comissator'. Pro palmite aut vitibus exstat Bacchus XIII 39, 1. 2 (*deo*). Similem habemus significationem VII 63, 4: *Aoniae Bacchica serta comae,* i. e. hederae, quibus poetae coronabantur. Ceres invenitur pro frumento III 58, 6; pro pane XIII 47, 1; Flora pro floribus VI 80, 5. Lar aut Lares sumuntur pro domo I 70, 2; III 5, 6; 31, 2; V 42, 2; IX 18, 2; 43, 12; 61, 15; X 58, 10; 61, 5; XI 48, 3; 82, 2; XII 57, 2. Quibus adiungo I 76, 2: *Antenorei spes et alumne laris*, i. e. Patavii, quod condidit Antenor. Penates leguntur pro domo I 70, 11; IV 64, 29; VII 27, 5; VIII 1, 1; 75, 1; IX 18, 7; 61, 5; X 28, 3; 33, 3; XI 93, 1; XII 3, 11. Libitina, dea funerum praeses, exstat pro rogo aut potius pro iis, quae ad curandum funus pertinent X 97, 1; Atlas pro caelo eiusque incolis IX 3, 5.

Priusquam autem ad aliam accedo huius tropi formam, hoc tamen loco quamquam non ad deos pertinent commemoranda mihi videntur ea exempla, in quibus Progne et Philomela sorores, quarum altera in hirundinem, altera mutabatur in lusciniam, pro ipsis illis avibus ponuntur. Progne enim legitur pro hirundine XI 18, 19; V 67, 2: *Hibernos peterent solito cum more recessus Atthides.* Atthides dicuntur hirundines, quia Progne filia erat Pandionis, regis Atticae. Eadem de causa I 53, 9 luscinia vocatur Atthis. Denique huc pertinet V 53, 3 sq.: *Materia est, mihi crede, tuis aptissima chartis Deucalion vel, si non placet hic, Phaethon,* ubi Deucalion significat aquam, Phaethon ignem aut flammas, quibus scripta delenda sint.

Transeamus nunc ad eam formam, qua homines vel dei usurpantur pro urbe ab iis condita eorumve a nomine appellata. Ledaeus Phalanthus sumitur pro Tarento VIII 28, 3; Circe

pro Circeiis VIII 36, 10; X 30, 8; filia Solis (Circe) pro Circeiis V 1, 5; Aeneae nutrix (Caieta) pro urbe Caieta, in qua mortua erat ac sepulta V 1, 5. Huc cadit quod Helicaon, filius Antenoris, Patavii conditoris, legitur X 93, 1 pro Patavio. — Eodem modo posita videntur adiectiva his aut talibus a nominibus derivata. Phalanthinus Galaesus dicitur pro Galaeso Tarentino V 37, 2; Helicaonia regio XIV 152, 2 pro regione Patavina; Antenoreus Faunus pro Fauno Patavino IV 25, 3.

Adiungenda puto, quamvis minus huc spectantia, exempla quae sequuntur: Martia harena pro harena Romana II 75, 8; Martia turba pro turba Romana I 3, 4; Ledaeus Phalanthus pro Phalantho Lacedaemonio VIII 28, 3, quia Leda uxor erat Tyndarei, regis Lacedaemonis; Agenoreae lacernae, Agenoreum aenum II 43, 7; X 16, 7 pro aeno et lacernis Tyriis, ab Agenore sic dictis, rege Tyri; Arsacia aula pro aula Parthica IX 35, 3, quia Arsaces priscus erat Parthorum rex; Dardanius Paris pro Paride Troiano IX 103, 8; Dardanius minister pro ministro Troiano XI 104, 19; Dardanus enim auctor erat gentis Troianae; Thesei favi pro favis Atticis IV 13, 4; Theseus Hymettus pro Hymetto Attico XIII 104, 1, quia Theseus rex erat Athenarum; Lagaeum litus X 26, 4 pro litore Aegypti, a Lago, patre Ptolemaei; Diomedei agri pro agris Aetoliae XIII 93, 1; Cecropiae arces, a Cecrope sic dictae, primo Athenarum rege, pro arcibus Athenarum I 25, 3. Eadem in significatione invenitur hoc adiectivum I 39, 3; 53, 10; IV 23, 6; V 2, 8; VI 34, 4; VII 32, 3; 69, 2; IX 13, 2; X 33, 2; XI 42, 4; XIII 24, 1; 105, 2.

Iam vero, ut ad aliud accedam huius tropi genus, homines appellantur pro rebus quas effecerunt vel possident. Cosmus est pro unguento Cosmiano XII 65, 4, quo eodem loco Niceros exstat pro unguento Nicerotis. Avi pro operibus avorum X 87, 15; gladiatores pro muneribus gladiatoriis III 16, 1: *Das gladiatores, sertorum regule, cerdo.* Agrippa pro Saeptis ab eo aedificatis X 87, 9: *Agrippae tumidus negotiator,* i. e. negotiator qui tabernam habet in Saeptis Agrippae. Eandem in rationem cadere videntur audacissima exempla haec: X 48, 4: *Immodico sexta Nerone calet,* i. e. sexta calet immodico calore, quo calent thermae Neronianae. XI 11, 5 sq.: *Te potare decet gemma, qui Mentora frangis In scaphium moechae, Sextiliane, tuae;*

i. e. te potare decet gemma, qui pocula Mentorea diffringis, unde efficiatur moechae tuae scaphium.

Sed haec hactenus; sequuntur exempla, in quibus scriptores sumuntur pro libris quos confecerunt. Qua significatione notabile occurrit ipsius Martialis nomen I 117, 15 sq.: *De primo dabit alterove nido Rasum pumice purpuraque cultum Denaris tibi quinque Martialem.* Sic Vergilius exstat pro Georgicis XI 52, 18; pro omnibus carminibus XIV 186 l. 1. Eodem modo usurpatur Cicero XIV 188 l.; Santra XI 2, 7; Homerus XIV 184 l.; Ennius V 10, 7; Marsus V 5, 6; Pedo V 5, 6; Catullus V 5, 6; Titus Livius XIV 190 l. l. 2 (*quem*); Sulpicia X 35, 1. 3. Huc cadit quod Sotades legitur pro versibus Sotadeis II 86, 2: *Nec retro lego Sotaden cinaedum,* i. e. nec versus compono retro legendos, quorum inventor erat Sotades. Quibus addere licet VI 60, 7: *Quam multi tineas pascunt blattasque diserti,* pro 'quam multorum scripta disertorum'; X 78, 14: *Sic inter veteres legar poetas,* i. e. sic carmina mea inter carmina veterum poetarum legantur. Similia sunt talia X 33, 8: *qui legitur,* i. e. cuius carmina leguntur; VIII 18, 2: *Vel mecum possis vel prior ipse legi,* i. e. carmina tua vel cum meis legantur vel iis anteponantur. Idem fere habes I praef. 12; 1, 1; 2, 4; 117, 13; IV 33, 4; 82, 2; VI 61, 2; VII 12, 1; 44, 8; 88, 3; 97, 7; VIII 3, 7; 15; IX 97, 2; X 19, 21; XIV 194, 2. Denique adiungenda mihi videntur exempla, in quibus nomen auctoris, qui pro scriptis usurpatur, verbo significatur vel intellegitur; I 2, 5: *Ne tamen ignores ubi sim venalis,* i. e. ubi carmina mea venalia sint. Eiusdem generis sunt II 86, 12; 91, 7; 8; III 95, 7; V 13, 3; VI 60, 1; VIII 61, 3 sq.; IX carm. praef. 8; X 78, 14.

Semel atque iterum occurrunt homines, de quibus in carmine agitur, pro ipso carmine positi. Huc spectat X 4, 1 sq.: *Qui legis Oedipoden caligantemque Thyesten Colchidas et Scyllas, quid nisi monstra legis?* ubi intellegendae sunt fabulae et tragoediae de Oedipo, Thyeste, Medea, Scylla; X 4, 9: *Non hic Centauros, non Gorgonas Harpyiasque Invenies,* i. e. fabulas de iis, quae hic sumuntur pro omnibus nubilis fabulis et monstrosis; XI 52, 17: *Ipse tuos nobis relegas licet usque Gigantas,* i. e. poema tuum de Gigantibus; XIV 184: *Ilias et Priami regnis inimicus Ulixes Multiplici pariter condita pelle latent;* ubi Ulixes dicitur pro Odyssea.

Iam vero deorum hominumve nominibus significantur templa aut porticus in eorum honorem aedificatae aut imagines eorum coloribus vel aere vel marmore expressae. Ac primum quidem commemoro I 70, 3 sq.: *Vicinum Castora canae Transibis Vestae virgineamque domum,* i. e. transgredieris Castoris templum propinquum templo Vestae. Eodem sensu usurpatur Diana VI 64, 13: *Laudat Aventinae vicinus Sura Dianae;* X 70, 7: *Nunc ad luciferam signat mea gemma Dianam;* Flora V 22, 4; VI 27, 1; Iuppiter V 22, 4; VII 73, 4; Quirinus XI 1, 9. Quibus adiungo VI 4, 2 sq.: *Cum tot iam tibi debeat triumphos Tot nascentia templa, tot renata, Tot spectacula, tot deos, tot urbes.* Deos enim recte adnotat Friedlaenderus pro novis deorum templis sumi conferens IX 3, ubi haec templa enumerantur. Falso igitur intellegunt haec verba Raderus aliique veteres editores de Domitiano, qui se ipsum, patrem et fratrem Titum in deorum numerum referri voluerit. Praeterea Europe invenitur pro porticu Europes II 14, 3; 5; 15; III 20, 12; XI 1, 11: *Turbam non habet otiosiorem Pompeius vel Agenoris puella* (Europe), ubi Pompeius quoque usurpatur pro porticu Pompeiana, quod idem habes V 10, 5. Simili modo *Dominus primae carinae* (Iason) exstat pro porticu Argonautarum XI 1, 12.

Dei et homines, qui pro statua vel imagine sumuntur, sunt hi: Iuno X 89, 1; Hercules vel Alcides IX 44, 1; 101, 1; Priapus III 58, 47; VI 72, 6; XI 18, 22; Orpheus X 19, 6; Phillyrides, Aesonides II 14, 6; Marsua II 64, 8; puer Bruti II 77, 4; viri IX carm. praef. 4; dei IX 25, 4; numen IX 43, 7; ministri VII 50, 3; causidicus IX 68, 6; quem versum plurimi editores sic legendum censent: *Causidicum medio cum faber aptat equo;* Schneidewinus quidem hanc exhibet lectionem: *Causidico medium cum faber aptat equum.* Prior autem lectio, quam omnes fere codices tradunt, magis placet, cum a statuarum artificibus non equus equiti, sed eques equo aptetur. Ceterum Koestlinius [1]), qui codicum scripturam ineptam putet, hanc proponit coniecturam: *Castoreum medico cum faber aptat equum.* Sed cum sententia lectionis traditae et, ut supra iam dixi, plurimis ab editoribus in textum

1) Philologi t. XXXVI p. 273.

receptae satis bona sit, de Koestlinii coniectura nihil attinet accuratius disputare. Denique huc spectare videntur talia: II 6, 16: *Interiungere quaeris ad Camenas*, i. e. ad lucum aut templum Camenarum; V 1, 2: *et hinc Triviam prospicis*, i. e. lacum Triviae; X 30, 9 ubi Marica exstat pro luco Maricae.

Restat ut nonnulla commemorem exempla, quae, quamquam spectant ad totam quam adhuc absolvi metonymiae formam, tamen difficile est ad certas classes revocare. Ac primum quidem affero V 12, 5 sq.: *Res non difficilis mihi videtur, Uno cum digito vel hoc vel illo Portet Stella meus decem puellas.* Quo de loco nondum satis constat inter viros doctos; plurimorum in unum congruunt sententiae novem Musas intellegendas esse, sed decima quae sit puella dissentiunt. Kingius [1]) Minervam, Friedlaenderus amatam Stellae putat significari. Quae res hic parvi momenti est, quam ob rem nolo accuratius in eam inquirere. Hoc primum est decem puellas sumi pro imaginibus, quas verisimile est in anulo fuisse expressas decem gemmis ornato. Similis figura exstat IV 28, 5: *Et centum dominos novae monetae*, i. e. centum aureos nummos Domitiani effigie insignes. Praeterea quae hoc loco commemorentur digna mihi videntur haec: I 117, 10 sq.: *Contra Caesaris est forum taberna Scriptis postibus hinc et inde totis, Omnes ut cito perlegas poetas;* i. e. ut cito perlegas omnium poetarum nomina vel titulos scriptorum. VI 58, 6: *Atque erat in gelido plurimus ore Pudens*, i. e. nomen Pudentis; V 54: *Extemporalis factus est meus rhetor: Calpurnium non scripsit, et salutavit* pro 'Calpurnii nomen non scripsit'. I 114, 3 sq.: *Condidit hic natae cineres nomenque sacravit Quod legis Antullae, dignior ipse legi*, i. e. dignius nomen ipsius legi; XII 61, 7: *Quaeras, censeo, si legi laboras*, i. e. si tuum nomen legi laboras.

§ 2. Sed haec hactenus; qua de forma quoniam satis mihi videor disputasse, iam ad sequentem transgrediamur, qua dei vel homines appellantur pro rebus quae sensibus non possunt percipi. Ac primum quidem, ut a diis iterum ordiar, legitur Mars pro bello aut pugna Sp. 22, 3; VI 25, 7; 32, 3; pro genere pugnae V 24, 14; pro fortuna belli Sp. 29, 2. Simili modo usurpatur adiectivum hoc e

---

1) Froehner, Kritische Analekten. (Philologi Supplem. V [1889] p. 36 sq.).

nomine derivatum V 24, 1: *Hermes Martia saeculi voluptas,* quem versum sic censeo explicandum secutus plurimorum interpretationem editorum: 'Qui Romanos bellicosos tua in pugnis gladiatoriis fortitudine et industria oblectas'. XI 3, 3: *ad Martia signa,* i. e. inter vexilla bellica, in castris; XII 8, 5: *Et fortem iuvenemque Martiumque.* Deinde pro Martio mense a Marte dicto ipse deus adhibetur IX 90, 15: *Sic Martis tibi serviant Kalendae,* quibus verbis Venerem alloquitur poeta. Friedlaenderus [1]) quidem cum neque in Fastis neque alibi commemoretur Kalendas Martias Veneri sacras fuisse, pro *Martis Kalendae* legendum putat *quartae Kalendae,* quo die mulieres humiliores constat Fortunae virili, honestiores Veneri verticordiae sacrificasse. In editione quidem hanc coniecturam missam facit et id iustissime; nam ut taceam a codicum lectione nimis eam abhorrere, Martiis Kalendis Matronalia celebrabantur, quo die non solum feminis a maritis, sed etiam ab amatoribus munera mittebantur amatis, qua de re conferas V 84, 10 sq.: *Scis certe, puto, vestra iam venire Saturnalia, Martias Kalendas;* item Lygdamum 1, 1 sq. Qua de causa Martialis hanc diem Veneri sacram videtur vocasse [2]). Sic etiam Ianus legitur pro mense Ianuario cui praeest VII 8, 5; VIII 33, 11; XIII 27, 1; Enyo, bellorum dea, usurpatur pro ipso bello Sp. 24, 3; pro exitu belli VI 32, 1: *Cum dubitaret adhuc belli civilis Enyo.* Diana, dea venationis praeses, invenitur pro venatione Sp. 12, 1: *Inter Caesareae discrimina saeva Dianae,* i. e. in venatione a Domitiano exhibita in amphitheatro. Minerva exstat pro scientia I 39, 3: *Si quis Cecropiae madidus Latiaeque Minervae,* i. e. Graecis Latinisque litteris eruditus; et similiter X 19, 14: *Totos dat tetricae dies Minervae,* i. e. studiis severioribus. Venus legitur pro amore vel amplexu Venereo I 103, 10; 109, 15; II 34, 4; VI 45, 2; 3; IX 41, 2; XI 26, 5; 60, 1; XII 43, 5; 96, 4; pro cupidine I 46, 2; 90, 8; III 75, 6; Talassio pro nuptiis vel matrimonio I 35, 6; 7; III 93, 25; pro amplexu Venereo XII 95, 5. Huc pertinet XI 13, 6 sq.: *Atque omnes Veneres Cupidinesque Hoc sunt condita, quo Paris, sepulcro,* i. e. cum Paride omnes deliciae, ioci salesque perierunt. Praeterea, quamquam in

---

1) Acad. Alb. Regim. 1878 III p. 4.

2) Qua de re accuratius explicavit Marquardt: Röm. Staatsverwaltung, III p. 571.

pleniorem quae mox tractabitur metonymiae formam potius cadit, tamen, quia a commentatoribus falso hoc in genere ducitur, non praetermittam hoc loco IX 11, 8 sq.: *Quod si Parrhasia sones in aula, Respondent Veneres Cupidinesque.* Quos versus editores interpretantur sic: 'cum tu loqueris, omnis elegantia et suavitas inest ori tuo', aut 'omnis gratia, venustas, elegantia respondent et insunt ori tuo'. Quae explicatio, ut Paukstadtii [1]) huius loci interpretationem sequar, poetae verbis minime respondet; loquitur enim hoc in carmine de nomine Earini, Domitiani ministri, quod dulce vocat, quia a vere sit deductum. Non igitur intellegenda sunt haec verba de Earino ipso, cuius in ore cum loquatur omnis elegantia et suavitas insit, sed de nomine eius, cui, si sonet Parrhasia in aula, venusta echo respondeat, ita ut quasi a Venere et Cupidine venire videatur; i. e. nomen eius pulchre et venuste sonat. — Praeterea Manes, qui ut dei habebantur immortales, sumuntur pro morte VIII 38, 5; pro orco quem incolunt XII 62, 4. Quibus exemplis plus minusve huc spectantia adiungo haec: XII 67, 2: *Augustis redit Idibus Diana,* i. e. Dianae dies natalis aut festus; II 89, 3: *Carmina quod scribis Musis et Apolline nullo,* i. e. sine auxilio Musarum et Apollinis, nulla gratia, nulla facultate poetica instructus; I 76, 5 sq.: *Quid petis a Phoebo? nummos habet arca Minervae; Haec sapit, haec omnes fenerat una deos.* Martialis dehortatur Flaccum, poetam Patavinum, a poesis studio tamquam inutili, monetque eum iurisdictioni et foro se potius det, quippe quo nullum aliud studium quaestuosius sit. Iam agitur de vocibus *fenerat deos,* quae quomodo intellegendae sint, valde dissentiunt viri docti. Ac plurimi quidem veterum editorum eas sic interpretantur: 'Tantum habet pecuniae Minerva, ut mutuos dare diis reliquis nummos possit'. Atque eadem significatione concedendum est usurpatum hoc verbum I 85, 4: *'Errat', ait, 'si quis Mario putat esse necesse Vendere: nil debet, fenerat immo magis'.* Hic *fenerare* absolute dictum est; talis autem quam modo commemoravi constructio insolentissima est neque exemplis potest probari [2]).

---

1) De Martiale Catulli imitatore. Halle 1876, p. 20.

2) Cic. Parad. 6, 2, 46, quem locum ad hanc huius vocabuli significationem afferebant comprobandam, omnes meliores codices exhibere lectionem *defenerandas* repperit Muellerus. Ceterum cf. Friedlaenderi ad hunc locum adnotationem.

Quae cum ita sint, Koestlinius[1]) proposuit hanc lectionem: *Quid petis a Phoebo? nummos dabit arra Minervae; Haec sapit, haec inter fenerat una deos.* Marklandus[2]): *Quid petis a Phoebo? nummos habet arca Monetae; Haec sapit, haec omnes temperat una deos.* Quas coniecturas, ne longius provehamur, nos vix deceat accuratius examinare, priusquam num omnino opus sit mutare, paucis perscrutati simus. Gronovius enim, cuius interpretationem plurimi recentiorum sequebantur editorum, scribit ad hunc locum: 'deos intellige nota figura deorum dona, sapientiam, pulchritudinem, potentiam'. 'Fenerare' habet igitur hoc loco significationem quamvis raram praestandi, tribuendi, ut apud Plinium N. H. II 6: 'hic (sol) lumen suum ceteris quoque sideribus fenerat'. Dei igitur sumuntur pro muneribus, quibus homines dicuntur donare, quae ab iis peti, sperari, dari possunt.

Sequuntur exempla, in quibus homines ponuntur pro munere quo funguntur. Sic consul legitur pro consulatu VIII 66, 8; consul et praetor pro iudiciis causisque forensibus, quibus praesunt X 70, 9. Quam ad formam prope accedit, quod temporis spatium, per quod consules munere fungebantur, ipsorum nomine occurrit dictum. Consul enim exstat pro anno I 15, 3: *Bis iam paene tibi consul tricesimus instat*; III 93, 1: *Cum tibi trecenti consules, Vetustilla, Et tres capilli quattuorque sint dentes;* VIII 45, 4: *Amphora centeno consule facta minor.* Simili modo usurpantur homines pro virtutibus et vitiis quibus insignes sunt. Quo ex genere haec sunt: I 24, 3: *Qui loquitur Curios adsertoresque Camillos,* i. e. qui loquitur de iis quae illorum moribus conveniunt, de continentia scilicet et fortitudine; VII 58, 7: *Quaere aliquem Curios semper Fabiosque loquentem,* i. e. quaere aliquem ex iis, qui sermone prae se ferunt continentiam et virilitatem; IX 27, 6 sq.: *Curios, Camillos, Quintios, Numas, Ancos, Et quidquid umquam legimus pilosorum Loqueris,* i. e. geris semper in ore veterum gravitatem et continentiam; X 11, 1: *Nil aliud loqueris quam Thesea Pirithoumque,* i. e. amicitiam. — Praeterea, quamquam minus huc spectant, tamen mihi liceat addere exempla haec: VII 47, 2: *Cuius prisca graves lingua reduxit avos,* i. e. gravitatem et mores avorum; VI 19, 7, ubi pro bello civili inter Sullam et

---

1) Philologi t. XXXVIII (1878) p. 371 sq.
2) Ad Stat. Silv. III 3, 105.

Marium gesto exstant *Sullae Mariique,* et *Mucii* pro bello Porsennae contra Romanos quos Mucius exemplo suo clarissimo excitaverat. X 24, 11: *Post hunc Nestora nec diem rogabo,* i. e. post hanc Nestoris aetatem, post hoc longissimum vitae spatium. Quam scripturam expensis variis codicum lectionibus eruerunt Heinsius et Gruterus, quos plurimi quoque recentiorum editorum secuti sunt. Simili dictione utitur Iuvenalis XII 128: *Vivat Pacuvius, quaeso, vel Nestora totum.* Quam ob rem quia cum ceteris, quas supra attuli, audacioribus huius tropi formis compositum optime ferri potest hoc exemplum, non solum Koestlinii [1]): *Posthinc Nestora nec diem rogabo,* sed etiam Friedlaenderi [2]) eleganti sagacique coniectura: *Post hoc Nestora nec diem rogabo* facile carebimus. I 61, 6: *Nasone Paeligni sonant,* i. e. Nasonis gloria; V 69, 2: *Et levius tabula quam Cicerone nocens,* i. e. minus nocens proscriptorum tabula quam unum Ciceronem necando. VII 32, 2: *Nec sinis ingentem conticuisse domum,* i e. nec pateris, ut laus et gloria familiae tuae obscurentur; IV 16, 8 ubi legimus *post patrem* pro 'post patris mortem'. Sp. 27, 7: *Igniferos possit sine Colchide iungere tauros,* i. e. sine auxilio et arte Colchidos (Medeae). Quod exemplum non recte videtur intellexisse Lindskog [3]), cum Colchida putet sumi pro veneno eique formae hanc dictionem inserat, qua locus usurpetur pro rebus, quae ibi creatae sint vel effectae. Denique mentionem faciam versuum XI 6, 12 sq.: *Possum nil ego sobrius; bibenti Succurrent mihi quindecim poetae.* Quibus ex verbis Leutschius [4]) Martialem Catulli rationes metricas in versibus Phalaeciis consecutum demonstraturus concludi posse putavit, omnino in carminibus scribendis priores poetas ante oculos eum habuisse. Sed quamquam multos priores poetas Martialem imitatum concedendum est et demonstratum [5]), tamen hoc loco non verba quindecim poetarum aut carmina bibenti sibi in mentem venire dicit, sed omnino vino calenti vires crescere ita, ut quasi ingenia tot simul auctorum succurrere viderentur [6]).

---

1) Philologi t. XXXVI (1877) p. 274.

2) Acad. Alb. Regim. 1878, II p. 7.

3) p. 41.

4) Philologi t. X (1855) p. 739.

5) Paukstadt, De Martiale Catulli imitatore. Halle 1876; Wagner, De M. Valerio Martiale Poetarum Augusteae aetatis imitatore. Regim. 1880; Zingerle, Martials Ovidstudien. Innsbruck 1877

6) Cf. Paukstadt p. 3.

§ 3. Pergo nunc ad eos locos quibus dei vel homines significantur rebus quae sensibus subiectae sunt. Ac primum quidem duo mihi liceat exempla afferre ad deos pertinentia[1]: VII 15, 4: *Et quod amatrices tam prope servat aquas,* ubi *aquae* sumuntur pro nymphis; IX 3, 12: *Addita quid Latio Flavia templa polo?* i. e. universis deis Romanorum. Saepissime terrae aut urbes occurrunt usurpatae pro incolis. Cum vero multis locis haud ita facile diiudicari possit, utrum re vera urbs aut terra pro incolis posita an, ut ita dicam, animata sit neque in hanc rem accuratius inquirere operae pretium sit, earum urbium terrarumque nomina enumerasse satis habebo quas pro incolis mihi persuasum est a Martiale esse usurpatas. Quae sunt haec: Babylon VIII 28, 17; XIV 150, 2; Bilbilis I 61, 12; Bononia VI 85, 5; Britannia XI 3, 5; Burdigala IX 32, 6; Carduae IV 55, 17; Corduba I 61, 8; Gallia XIV 129, 1; Lacedaemon IV 55, 7; Mantua VIII 73, 9; Memphis VII 99, 2; Roma I 3, 3; III 95, 9; IV 8, 3; VI 4, 5; 28, 2; 61, 1; VII 5, 4; 6, 7; 95, 4; 99, 2; VIII 11, 7; 8; 15, 5; 21, 3; 26, 3; 4; 50, 8; 61, 5; 65, 6; IX 28, 10; 48, 8; 79, 2; 97, 2; X 6, 6; 28, 4; 53, 2; 72, 12; 13; 87, 2; XI 24, 6; XII 11, 8; 42, 5; 6; 57, 27; 59, 1; XIV 129, 1; Sassina IX 58, 4; Umbria IX 58, 3; Verona I 61, 1. Praeterea exstant pro Atheniensibus *Cecropiae Pandionis arces* I 25, 3; pro Romanis *Latiae tribus* VIII 15, 4; *Latia urbs* VIII 8, 5. Eodem modo usurpantur terrae IV 1, 9; mundus VIII 4, 1; civitas XII praef. 8; urbs VIII 44, 5; XII 57, 16; tribus II 46, 5; vicinia XII 59, 4; fora VII 28, 5. Denique huc mihi spectare videtur etiam VII 80, 1: *Quatenus Odrysios iam pax Romana triones Temperat,* i. e. populos hyperboreos qui significantur IX 84, 6 voce 'Arctos'. — Similiter populi designantur fluviis quos accolunt. Nilus sumitur pro Alexandrinis vel Aegyptiis III 63, 5; XIV 115, 1; Rhenus pro Chattis vel Germanis II 2, 3; V 37, 8; VIII 11, 1; IX 1, 3; 6, 1; Hister pro Sarmatis VIII 2, 2. — Singuli homines denotantur in his: IV 11, 5 sq.: *Excideratne adeo fatum tibi nominis huius, Obruit Actiaci quod gravis ira freti?* i. e. ira Caesaris Augusti

1) Cetera, quae ad deos pertinent, huius generis exempla infra commemorabo, ubi in rerum contextu desiderari non possunt.

a quo Antonius ad Actium devictus erat; VII 69, 3: *Hanc sibi iure petat magni senis Atticus hortus*, i. e. hanc sibi iure vindicet discipulam Epicurus; IX 103, 5: *Ista Therapnaeis si forma fuisset Amyclis*, i. e. Castori et Polluci fratribus qui Amyclis nati erant. — Huc refero etiam exempla quae sequuntur: VIII 6, 10: *Pollice de Pylio trita columba nitet*, i. e. de pollice Nestoris; IV 1, 3: *Longa, precor, Pylioque veni numerosior aevo*, i. e. aevo Nestoris quod simili modo significatur VIII 2, 7; X 38, 14; VII 2, 3 ubi *Aetola cuspis* legitur pro 'cuspide Meleagri', quod idem habes XIII 93, 2; X 19, 17 ubi *Arpinae chartae* dicuntur pro chartis Ciceronis; XI 16, 3: *Nam mea Lampsacio lascivit pagina versu*, i. e. versu Priapeo; Lampsacus enim urbs est Hellesponti, ubi Priapus studiose colebatur; VI 13, 5: *Ludit Acidalio, sed non manus aspera, nodo*, i. e. nodo Veneris; quam ad rem conferas etiam IX 13, 3: *Nomen Acidalia meruit quod harundine pingi.*

Quam ad metonymiae formam id antonomasiae genus, quod a loco sumitur[1]), tam prope accedit, ut quin annectam huius tropi exempla facere non possim. Tirynthius dicitur pro Hercule VII 15, 3; XI 43, 5; Tritonis pro Minerva IV 1, 5; Maeonides pro Homero V 10, 8; Colchis pro Medea Sp. 27, 7; V 53, 1; X 4, 2; 35, 5; Pimpleis pro Musa XI 3, 1; Phryx pro Attide VIII 46, 4; pro Ganymede X 19, 9; Dindymene pro Cybele VIII 81, 1; Arcas pro Mercurio IX 34, 6; Cytherea pro Venere IX 13, 4; XI 81, 6; Paphie pro Venere VII 74, 4; Ithacus pro Ulixe XI 104, 15. Praeterea Lacones leguntur pro Castore et Polluce fratribus Sp. 26, 5; I 36, 2; IX 3, 11; item Aonides pro Musis VII 22, 2.

Saepissime, ut ad aliud accedam huius metonymiae genus, aedificia aut partes eorum ponuntur pro hominibus qui in iis insunt. Sic palatia exstant pro imperatore vel principibus VII 28, 5; IX 42, 5; aula dicitur pro principe IX 43, 11; domus pro servis domesticis VI 29, 1; pro familia VII 32, 2; IX 61, 12; 79, 4; lupanar pro meretricibus IX 6, 9; ludus pro discipulis V 24, 4; popina pro cenae domino V 44, 10; limen pro ianitore I 70, 13; cubile pro coniugibus IX 6, 8; torus pro uxore X 47, 10. Pro meretricibus usurpantur tori

1) Cf. Charisii Instit. Gramm. l. III (Keil, Grammatici Latini. vol. I, p. 274).

IX 29, 10; palaestrae pro palaestritis IV 8, 5; theatra pro spectatoribus V 10, 9; XI 31, 10; pro histrionibus VII 64, 9; catastae pro servis in iis expositis IX 29, 5; cunae pro infantibus IX 8, 3; subsellia pro hominibus qui in iis sedent I 26, 1: *Sextiliane, bibis quantum subsellia quinque,* quo eodem modo adhibentur cunei I 26, 4. Praeterea addo quamquam minus huc pertinet XII 32, 10: *Migrare clivum crederes Aricinum,* quo significantur mendici qui in colle Aricino frequentissimi spectabantur.

Priusquam autem ad sequentem transgrediar huius generis formam, nonnulla exempla hic mihi videntur inserenda quorum tropus, ut ita dicam, attributivus est. Saepe enim cum rebus coniuncta inveniuntur adiectiva quae, cum proprie ad homines pertineant, ab illis ad res transferuntur. Quae cum ita sint hic mihi agendum est de ea forma qua adiectiva] hominibus propria attribuuntur terrae vel urbi aliive quo habitant loco vel versantur. Qua de re conferas haec: I 61, 9: *Gaudent iocosae Canio suo Gades;* I 70, 13: *Hanc pete: ne metuas fastus limenque superbum;* IV 8, 5: *Sufficit in nonam nitidis octava palaestris;* IV 42, 5: *Sit nive candidior: namque in Mareotide fusca Pulchrior est, quanto rarior, iste color;* IV 55, 3: *Qui Gaium veterem Tagumque nostrum Arpis cedere non sinis disertis*[1]); IV 55, 6 sq.: *Aut claram Rhodon aut libidinosae Ledaeas Lacedaemonos palaestras;* IV 64, 25 sq.: *Hoc rus, seu potius domus vocanda est, Commendat dominus: tuam putabis; Tam non invida tamque liberalis, Tam comi patet hospitalitate;* V 78, 14: *Et quas docta Neapolis creavit;* V 78, 26: *Nec de Gadibus improbis puellae;* VI 4, 5: *Plus debet tibi Roma, quod pudica est;* VI 28, 2: *Tota qui cecidit dolente Roma;* VI 29, 1: *Non de plebe domus nec avarae verna catastae;* VIII 65, 5 sq.: *Hic lauru redimita comas et candida cultu Roma salutavit voce manuque ducem;* IX 32, 6: *Poscentem nummos et grandia verba sonantem Possideat crassae mentula Burdigalae;* IX 35, 7: *Scis, quotiens Phario madeat Iove fusca Syene;* IX 48, 8: *Ructat adhuc aprum pallida Roma meum;* X 16, 7: *Quidquid Agenoreo Tyros improba cogit aheno;* X 47, 10: *Non tristis torus,*

1) Arpi appellantur pro Arpino, Ciceronis patria, cui errori similes demonstravit Gilbert (Ad Martialem quaestiones criticae. Programm des Kgl. Gymnasiums zu Dresden-Neustadt, 1883, p. 4, 3).

et *tamen pudicus;* X 87, 2: *Octobres age sentiat Kalendas Facundi pia Roma Restituti;* XI 6, 4: *Versu ludere non laborioso Permittis, puto, pilleata Roma;* XII 6, 5: *Hoc populi gentesque tuae, pia Roma, precantur;* XII 68, 2: *Atria, si sapias, ambitiosa colas.*

Iam vero pro hominibus ponuntur vestes quibus induti vel signa quibus notabiles sunt. Sic purpura significat consules vel senatores, qua de re conferas VIII 8, 4: *Purpura te felix, te colat omnis honos;* X 5, 1: *Quisquis stolaeve purpuraeve contemptor,* quo in versu eodem modo stola usurpatur pro matronis quarum vestis est. Eodem redit quod toga adhibetur pro togatis, cuius rei exempla habes haec: VII 5, 2: *Si desiderium, Caesar, populique patrumque Respicis et Latiae gaudia vera togae,* i. e. gaudia Romanorum; VII 63, 2: *Perpetui numquam moritura volumina Sili Qui legis et Latia carmina digna toga,* i. e. carmina Romano digna poeta; X 18, 4: *Eheu! quam fatuae sunt tibi, Roma, togae!* i. e. clientes; XI 16, 2: *urbanae scripsimus ista togae,* i. e. hominibus honestis. Quibus adiungo X 10, 12: *Dimisit nostras purpura vestra togas,* i. e. vos, o clientes purpurati, nos togatos submovistis. — Multo frequentius adiectiva ex eodem derivata vocabulo sic adhibentur; sic togati vel togatuli appellantur clientes I 108, 7; II 74, 1; 6; V 26, 4; IX 100, 1; X 74, 3; 82, 2; XI 24, 11. Eodem redit quod pro clientibus legitur grex togatus II 57, 5; turba togata VI 48, 1; gens togata pro Romanis XIV 124, 1; Mars togatus pro Domitiano VI 76, 1; mater togata pro adultera VI 64, 4; opera togata pro clientela III 46, 1; quem ad locum, quia etiam alia de causa notatu dignus videtur, infra revertar. Eodem modo atque toga usurpantur lacernae V 8, 12: *Illas purpureas et arrogantes Iussit surgere Leïtus lacernas;* mitrae II 36, 3: *Nec tibi mitrarum nec sit tibi barba reorum.* Denique ponitur latus clavus pro senatore cuius insigne erat V 17, 3: *Dum te posse negas nisi lato, Gellia, clavo Nubere, nupsisti, Gellia, cistifero.* — Cui formae simillima est ea qua domini vel possessores instrumentis aliisve significantur rebus quas possident. Quo ex genere haec sunt: Pharia arma pro Pothino III 66, 1; ferrum pro hominibus ferro armatis IX 70, 7: *Nulla est insania ferri;* parma pro gladiatore IX 68, 8; opes pro divitibus Sp. 4, 2; ceroma pro luctatore V 65, 3; mensa pro convivatore III 58, 42.

Transeamus nunc ad corporis partes per quas homines designantur. Gula exstat pro helluone vel nepote VII 20, 18. Quamquam, quia partem exhibet pro toto, ad synecdochen proprie referenda sit haec forma, tamen cum non homo tantum, sed intemperantia atque incontinentia eius imprimis declaretur, metonymia summo iure mihi videtur constitui posse. Simili de causa cum ad synecdochen, tum ad hanc metonymiae formam spectat ille tropus qui cunnos exhibet usurpatos pro meretricibus vel moechis VI 45, 1; manus pro artifice VII 56, 4; manum pro servo amanuensi I 101, 1: *Illa manus quondam studiorum fida meorum.* Item huc pertinet XI 61, 2: *Summoenianis inquinatior buccis,* i. e. ipsis meretricibus Suburanis. Addo II 46, 7 sq.: *Tu spectas hiemem succincti lentus amici Pro scelus! et lateris frigora trita tui.* Pro *tui* exhibent codices *times,* quae lectio a poetae sententia videtur abhorrere, cum sermo sit de Naevolo quodam, qui amici sui frigus immisericors spectat neque succurrit sub pannis algenti. Atque saepius exitus versuum ita corrupti sunt, ut pro vocabulo a Martiale scripto aliud sumendum sit substitutum esse [1]). Ipse igitur amicus qui Naevoli latus cingit tegitque, latus eius appellatur, quod idem habes VI 68, 4: *Eutychus ille, tuum, Castrice, dulce latus.* Simili modo sumuntur pedes pro pueris qui ad pedes alicuius stant III 82, 18: *At ipse retro flexus ad pedum turbam.* Quibus adiungo, quamquam huc minus pertinet, I 3, 5: *Maiores nusquam rhonchi;* rhonchus enim est stertentis sonus, quo iudicium fastidiosum intellegitur, quam ob rem hic pro ipso derisore occurrit usurpatus vel censore superbo. Ac quoniam de corporis partibus agitur, non praetermittam quin nonnulla addam de vocibus fames, sitis, dolor, quae quomodo a poeta usurpentur, haec demonstrant exempla: III 7, 4: *Quid cogitatis, o fames amicorum?* i. e. o famelici amici, ut interpretatur Friedlaenderus. Priores quidem editores, quos sequitur in hoc versu explanando Wannowskius [2]), fame dicunt significari patronos qui exiguam sportulam largientes clientes suos fame enecabant. Sed tam audacem metonymiae formam ut

---

1) Quam rem exemplis comprobavit Friedlaenderus, Observationum de Martialis epigrammatis. Part. II. Acad. Alb. Regim. 1878, I p. 4.

2) Metonymiae ratio e scriptoribus Latinis explicata. Programm des Kgl. Marien-Gymnasiums zu Posen für das Schuljahr 1859/60, p. 7.

omnino liceat sumi — qua de re iudicare non audeo, — utra sit praeferenda explicatio difficile est discernere, praesertim cum utraque sanum sensum praebeat. — Sitis legitur pro sitientibus XIV 117, 2; dolor pro femina dolenti I 42, 2.

Denique sequuntur nonnulla exempla quae tropum exhibent attributivum, cum id quod personis proprie attribuendum esset, ad res transferatur quas possident vel quibus utuntur[1]). III 38, 9: *Insanis: omnes gelidis quicumque lacernis Sunt ibi, Nasones Vergiliosque vides;* III 58, 42: *Nec avara servat crastinas dapes mensa;* IV 34, 2: *Quisquis te niveam dixit habere togam*; IV 67, 7: *Ah pudet ingratae, pudet ah male divitis arcae;* V 8, 11 sq.: *Illas purpureas et arrogantes Iussit surgere Leïtus lacernas;* V 13, 6: *Et libertinas arca flagellat opes;* VI 11, 6: *Non minus ingenua est et mihi, Marce, gula;* VI 50, 2: *Errabat gelida sordidus in togula;* VI 73, 1: *Non rudis indocta fecit me falce colonus;* VII 6, 5: *Publica victrices testantur gaudia chartae;* VII 72, 9: *Sic palmam tibi de trigone nudo Unctae det favor arbiter coronae;* VII 92, 7: *Esse queror gelidasque mihi tritasque lacernas;* VIII 8, 3: *Te primum pia tura rogent;* VIII 38, 11: *Et de munifica profusus arca;* VIII 66, 1: *Augusto pia tura victimasque* (date); IX 35, 6: *Victricem laurum quam venit ante vides;* IX 49, 8: *Quam (togam) possis niveam dicere iure tuo;* IX 68, 8: *Vincenti parmae cum sua turba favet;* X 3, 2: *Et foeda linguae probra circulatricis;* X 18, 4: *Eheu! quam fatuae sunt tibi, Roma, togae!* X 19, 12 sq.: *Sed ne tempore non tuo disertam Pulses ebria ianuam, videto;* X 48, 10: *Nec deest ructatrix mentha nec herba salax;* X 62, 3: *Et delicatae diligat chorus mensae;* X 82, 6: *Per gemitus nostros ingenuasque cruces*; XII 18, 4 sq.: *Dum per limina te potentiorum Sudatrix toga ventilat;* XII 36, 2: *Algentemque togam brevemque laenam;* XIII 4, 2: *da pia tura Iovi*; XIII 62, 2: *Ingeniosa gula est;* XIII 66, 1: *Ne violes teneras periuro dente columbas;* XIV 26, 2: *Captivis poteris cultior esse comis;* XIV 137, 2: *Cum tegit algentes alba lacerna togas.* Quibus denique adiungo I 27, 5: *Et non sobria verba subnotasti.*

---

1) Cuius formae nonnulla exempla composuit Friedlaenderus in adnotationibus ad I 15, 7; XII 18, 5.

§ 4. Liceat nunc transire ad eam formam qua dei vel homines significantur rebus quae sunt a sensibus sevocatae. Atque, ut unicum afferam quod ad deos pertinet exemplum, numen usurpatur pro ipso deo Sp. 12 b, 2; III 24, 12; VII 12, 11; IX 43, 7; 86, 9; X 92, 13; XI 3, 9. — Quod attinet ad homines, abstracta saepe ponuntur pro iis personis quibus ea qualitas vel res attribui potest quae substantivo abstracto continetur. Atque virtutes et vitia quomodo in hominum locum succedant exempla habes haec: virtus legitur pro fortibus Sp. 29, 10; VIII 80, 4; pietas pro pio VI 85, 7; natorum pietas pro natis piis VII 40, 3; luxuria pro luxuriante III 10, 3; invidia pro invidis V 6, 5; 10, 3; pudicitia pro femina pudica X 63, 8; fides pro fideli VII 52, 4; libido pro libidinosis IX 8, 8; livor pro invidis X 33, 6; avaritia pro avaro XI 58, 12.

Sequuntur exempla in quibus vocabula significantia actionem, perpessionem, eventum, affectum habitumque animi affectu excitatum, condicionem vitae, similia pro ipso homine posita sunt. Quam ad formam pertinent haec: militia ponitur pro militibus XIV 32, 1; convivia dicuntur pro convivis VIII 39, 1; vanus labor est pro eo qui laborem inanem suscipit I 88, 4; deliciae leguntur pro lautioribus et delicatis VIII 48, 6; fuga pro fugientibus III 44, 2; morbus pro aegroto II 16, 4; rapina pro Amynta rapto XI 41, 5; honos pro magistratu VIII 8, 4; merita pro bene meritis I 111, 3; vota pro iis qui votis aliquid expetunt VII 47, 5; chorus pro iis qui choros ducunt et inde pro quavis omnino multitudine Sp. 26, 1; V 51, 2; VII 50, 4; 69, 8; X 62, 3; XII 3, 8. Huc mihi videtur spectare quod turba dicitur pro multitudine, cuius rei exempla repperi haec: Sp. 4, 1; 23, 6; I 3, 4; 20, 1; 42, 6; 73, 4; 89, 2; 90, 4; II 37, 9; 74, 2; 75, 5; III 38, 12; 82, 18; 91, 8; IV 53, 6; 66, 10; V 7, 6; 8, 9; 31, 1; VI 48, 1; VII 7, 9; 22, 2; 32, 3; 44, 9; 58, 9; 61, 7; 69, 4; VIII 38, 13; 82, 1; IX 22, 2; 29, 6; 55, 3; 59, 6; 68, 8; 79, 1; 97, 3; X 10, 4; 12, 10; 18, 3; 48, 1; 61, 5; 62, 1; XI 1, 10; 84, 4; XII 29, 19; 49, 1; 57, 11; 26; 87, 3; XIII 98, 2; 124, 2; XIV 169, 2; 214, 1. Praeterea pax usurpatur pro pacis amatoribus Sp. 4, 1; XII 9, 2; quies pro placidis vel otiosis Sp. 4, 1; VII 32, 4; somnus pro dormientibus XII 50, 8; otia pro otiosis XI 3, 2; amicitia pro amico IX 2, 1; 14, 2; 99, 6; X 44, 10; XI 44, 2; voluptates pro laetis XII praef. 13;

pro quibus exstat laetitia VII 6, 9; ira pro irato XI 39, 10; furor vel furores pro hominibus saevis IV 14, 2; VI 19, 6; IX 84, 1; ingenium pro ingeniosis VIII 68, 9; tentigo mariti pro marito libidinoso VII 67, 2. Deinde ars usurpatur pro artificibus X 32, 5; imperia viduarum leguntur pro viduis imperantibus I 49, 34. Quae restant huius generis exempla haec sunt: vita pro hominibus praesentibus VIII 3, 20; X 4, 8; cognatio pro cognato IX 54, 5; nomen pro homine IV 11, 5; VI 3, 1.

Quam ad formam prope accedit ea qua pro hominibus ponuntur affectus quos in aliis movent, mala quae aliis intulerunt aliaeque res quarum auctores sunt. Sic spes dicitur pro eo in quo spem aliquis reponit I 76, 2: *Antenorei spes et alumne laris;* voluptas pro eo qui voluptatem alicui parat V 24, 1: *Hermes Martia saeculi voluptas.* Huc refero V 24, 4: *Hermes turba sui tremorque ludi,* i. e. circum quem tota gladiatorum familia se congregat et quem eundem veretur [1]). Item usurpatur tremor V 65, 5, ubi Cacus appellatur 'silvarum tremor'. Atque festivius habemus huius rei exemplum III 64, 1 sq.: *Sirenas hilarem navigantium poenam Blandasque mortes gaudiumque crudele,.. Fallax Ulixes dicitur reliquisse.* Accedunt eodem sensu posita vocabula haec: cura I 82, 10; V 24, 10; VI 52, 2; VIII 77, 1; 82, 6; XI 26, 1; dolor VI 52, 2; VII 96, 1; XIV 173, 2; tormentum VII 29, 1; labor V 24, 10; culpa XIV 173, 2; timor VII 38, 4; amor vel amores Sp. 25 b, 1; I 31, 2; V 37, 17; VI 68, 6; XIV 204, 1; gloria II 90, 2; 91, 1; IV 55, 1; 75, 2; V 24, 14; VIII 82, 5; IX 99, 4; X 53, 1; 64, 3; XII 21, 7; deliciae IV 87, 2; V 34, 2; VI 28, 3; VII 14, 2; VIII 63, 4; 82, 6; IX 28, 2; X 53, 2; gaudium vel gaudia V 37, 17; IX 36, 2; lusus IV 87, 2; V 37, 17; VII 14, 2; tutela V 1, 7; divitiae V 24, 9; vota VI 38, 9; fama VIII 73, 7; IX 28, 1; X 103, 4; XI 9, 1; ingenium VIII 73, 6; quies XI 26, 1; plausus IX 28, 2; X 53, 2; nomen X 103, 4; decus I 55, 2; IV 14, 1; VII 74, 1; 97, 2; VIII 51, 19; IX 28, 1; X 103, 4; laus I 49, 2; salus II 91, 1; V 1, 7; VIII 66, 6; oscula V 34, 2.

Cuius formae exemplorum mihi videtur non dubitari posse quin multa proxime attingant personificationem quam dicimus

1) Cf. Friedlaenderi interpretationem.

ita, ut res pro hominibus positae animatae quodammodo cogitentur. Quin etiam nonnulla huc pertinentia propter unam personificationem metonymiae censeo subicienda qua re efficitur ut metaphorae sint finitima. Atque festivum exstat exemplum X 78, 1 sq.: *Ibis litoreas, Macer, Salonas, Ibit rara fides amorque recti, Et quae, cum comitem trahit pudorem, Semper pauperior redit potestas.* Accedunt talia: X 72, 1 sq.: *Frustra Blanditiae venitis ad me Attritis miserabiles labellis*; XI 13, 3 sq.: *Urbis deliciae salesque Nili, Ars et gratia, lusus et voluptas, Romani decus et dolor theatri Atque omnes Veneres Cupidinesque Hoc sunt condita, quo Paris, sepulcro*; XI 92: *Mentitur qui te vitiosum, Zoile, dicit: Non vitiosus homo es, Zoile, sed vitium*; XII 6, 3 sq.: *Recta Fides, hilaris Clementia, cauta Potestas Iam redeunt*; *longi terga dedere metus.* — Iam vero commemoranda mihi videtur ea huius tropi forma qua temporum notiones pro hominibus substituuntur. Quo sensu exstat vetustas Sp. 5, 3; VII 45, 8; posteritas VII 47, 10: *et frueris posteritate tua*, i. e. velut redivivus sentis quam carus fueris nobis, tuis nimirum posteris, cum mortuum te crediderimus. Saecula adhibentur pro posteris Sp. 28, 12; X 19, 16; pro prioribus V 10, 8; pro praesentibus V 24, 1; IX 27, 9; tempora pro scriptoribus horum temporum V 10, 2: *Et sua quod rarus tempora lector amat.* Praeterea iuventa ponitur pro iuvenibus II 90, 1; brevis aetas pro iuvene VI 85, 7. Quibus adiungo I 35, 8: *Quis Floralia vestit?* i. e. meretrices quae in Floralibus nudae agebant.

Denique afferam exempla nonnulla quorum tropus attributivus est. Saepe enim id, quod ad homines proprie pertinet, transfertur ad condicionem eorum, ad virtutes vitiaque, ad ea quae agunt vel similia [1]), qua de re conferas haec: Sp. 29, 10: *Hoc pretium virtus ingeniosa tulit;* I 15, 7: *Exspectant curaeque catenatique labores;* I 35, 8 sq.: *Quis Floralia vestit et stolatum Permittit meretricibus pudorem?* I 106, 5 sq.: *sobriasque mavis Certae nequitias fututionis?* III 46, 1: *Exigis a nobis operam sine fine togatam;* III 58, 24: *Non segnis albo pallet otio copo;* III 64, 1 sq.: *Sirenas hilarem navigantium poenam Blandasque mortes gaudiumque crudele;* III 66, 3: *laurigeros ageres cum laeta triumphos;* III 82, 13: *Percurrit agili*

---

1) Cf. Friedl. adnot. ad I 15, 7.

corpus arte tractatrix; IV 14, 3 sq.: *perfidosque Astus Hannibalis;* IV 22, 7 sq.: *Insilui mersusque vadis luctantia carpsi Basia;* IV 67, 2: *Praetorem pauper centum sestertia Gaurus Orabat cana notus amicitia;* V 19, 8: *Quod colit ingratas pauper amicitias;* V 46, 1: *Basia dum nolo nisi quae luctantia carpsi;* VI 25, 4 sq.: *Accipe et haec memori pectore vota tene: Cauta sit ut virtus, nec te temerarius ardor In medios enses saevaque tela ferat;* VII 64, 6: *Quid facit infelix et fugitiva quies?* IX 43, 11: *Offensus variae tumidis terroribus aulae;* X 20, 3 sq.: *Tu mihi simplicibus, Mani, dilectus ab annis Et praetextata cultus amicitia;* X 47, 6: *Vires ingenuae, salubre corpus;* X 51, 6: *o soles, o tunicata quies;* X 96, 9: *Hic pretiosa fames;* XI 6, 6: *Pallentes procul hinc abite curae;* XI 23, 9 sq.: *Te spectante dabit nobis lasciva minister Basia;* XI 58, 12: *Λειχάζειν cupidae dicet avaritiae;* XI 96, 4: *Captivam victrix unda levare sitim;* XII 4, 6: *Tu das ingenuae ius mihi pigritiae;* XII 9, 2: *Et placido fruitur pax peregrina iugo;* XII 14, 9 sq.: *Si te delectant animosa pericula, Tuscis — Tutior est virtus — insidiemur apris;* XII 57, 15: *Numerare pigri damna qui potest somni;* XII 62, 2: *Sub quo pigra quies nec labor ullus erat;* XIV 117, 2: *Non potare nivem, sed aquam potare rigentem De nive commenta est ingeniosa sitis;* XIV 162, 2: *Non venit ad duros pallida cura toros.*

Quibus adiungo exempla in *quibus id quod ad homines pertinet, transfertur ad temporum notiones.* VII 39, 1: *vagumque mane;* VII 63, 11: *Emeritos Musis et Phoebo tradidit annos;* VIII 67, 3: *Cum modo distulerint raucae vadimonia quartae;* X 47, 9: *Nox non ebria, sed soluta curis;* X 87, 11: *Pugnorum reus ebriaeque noctis;* XI 6, 1: *Unctis falciferi senis diebus;* XI 69, 7: *Non me longa dies nec inutilis abstulit aetas;* XIII 1, 4: *Postulat, ecce, novos ebria bruma sales;* XIV 1, 9: *Sed quid agam potius madidis, Saturne, diebus.*

§ 5. Sed haec hactenus; qua de metonymiae forma cum satis superque mihi videar disputasse, *iam ad tertiam formam transgrediamur, qua dei vel homines exhibentur alii pro aliis usurpati.* Qua in forma tractanda multa in-

veniuntur exempla admodum dubia, quae utrum metonymiae subiungenda sint an potius metaphorae, sententiae in diversum tendunt, ut utra probanda sit saepe mirum quantum haereas. Quod ad me attinet, omnia talia quae e comparatione evasisse videantur vel in quibus similitudo quaedam significantis respiciatur cum significatis procul habenda esse a mea provincia censui atque metaphorae potius subiungenda. Quae cum ita sint pauca restant exempla quae hoc loco mihi videantur commemoranda. Quorum in plurimis deus usurpatur pro hominibus qui in eius tutela sunt. Sic legitur Minerva pro philosophis VII 32, 3: *Te pia Cecropiae comitatur turba Minervae,* i. e. semper habes in tuo comitatu Athenienses philosophos; Mars pro militibus Sp. 24, 5: *Non credis? Specta, dum lassant aequora Martem.* Simili sensu positum censeo adiectivum hoc e nomine derivatum VII 6, 6: *Martia laurigera cuspide pila virent,* quibus verbis significantur aut nuntiorum pila a loco quo bellum gerebatur Romam missorum aut copiarum quae Romae praesidio erant[1]). Huc spectat Sp. 6: *Belliger invictis quod Mars tibi servit in armis, Non satis est, Caesar, servit et ipsa Venus;* i. e. non viri tantum, sed etiam feminae hodie pugnare didicerunt. X 26, 3: *At nunc Ausonio frustra promisse Quirino, Hospita Lagaei litoris umbra iaces,* i. e. nunc mortuus es in Aegypto, qui populo Romano — pro quo sumitur hic Ausonius Quirinus — te rediturum promiseras. — Sed pedem sisto; nam omnia alia his similia, ut exempli gratia: Venus pro amata, Ganymedes pro vini ministratore, Penelope pro femina casta, et quae sunt generis eiusdem, ea de causa quam supra attuli metaphorae censeo annumeranda.

Ceterum etiam ea forma hic mihi videtur commemoranda qua homines pro hominibus per antonomasiam ponuntur. Huc spectat usus patronymicorum, quorum haec mihi liceat exempla affere: Aeacides pro Achille VIII 6, 12; XI 43, 10; Aesonides pro Iasone II 14, 6; Alcides pro Hercule Sp. 16 b, 2; V 65, 2; 16; VI 68, 8; VII 50, 5; IX 3, 11; 25, 7; 34, 6; 44, 1; 64, 6; 65, 1; 101, 3; 11; XIV 178, 2; Phillyrides pro Chirone II 14, 6; Tyndaris pro Helena IX 103, 4; XII 52, 6. Praeterea Atridae sumuntur pro Agamemnone et Menelao fratribus VII 24, 5; Heliades pro Helii vel solis filiabus IV 59, 1; IX 13, 6;

1) Cf. Friedl. adnot.

Nereides pro Nerei filiabus Sp. 26, 1; IV 57, 8; Pierides pro Musis X 58, 6; XII 68, 4. Quibus denique adiungo VIII 28, 19: *Non Athamanteo potius me mirer in auro*, quibus verbis aurea pellis Phrixi significatur, Athamantis filii.

§ 6. Haec sufficiant de forma quae ad deos hominesque pertinet, disputasse: age vero nunc transeamus ad eam formam qua res rebus significantur. Quo in genere primum agendum est de illo tropo qui versatur in rebus quarum utraque in sensus cadit; deinde, quarum altera sensibus subiecta est, cum altera sensibus non percipiatur; quo fit ut restent ea exempla in quibus utraque res a sensibus remota est. Nunc igitur tractabuntur exempla in quibus metonymia continetur rebus quarum utraque in sensus cadit. Quo in genere etiam exempla ad bestias pertinentia repositurus sum. Ac primum quidem quae spectant ad corporis partes, haec sunt: manus pro artificio IV 39, 3; VIII 51, 2 [1]); ora pro anima VI 93, 3; buccae pro offis vel frustis VII 20, 8; X 5, 5; dens pro vulnere dente illato III 19, 7. Huc refero quod anhelitus dicitur pro halitu IV 4, 8 et fames pro re quae esurientem non satiat, ut I 59, 2; X 96, 9. — Iam vero locus appellatur pro iis quae in eo insunt, qua de re conferas haec: balneum pro aqua qua lavantes utebantur III 25, 1; palus pro canna vel arundine quae nascitur in paludibus XI 32, 2; XIV 38, 2; 160, 1; macellum pro cibis X 59, 3; stabulum pro ovibus VIII 28, 5; culina pro cena V 44, 8; pro fuligine X 66, 3. Quibus addo II 29, 5: *Cuius olet toto pinguis coma Marcelliano,* i. e. cuius coma olet odore qui spargitur per theatrum Marcelli; IX 11, 3: *Nomen cum violis rosisque natum, ... Hyblam quod sapit Atticosque flores,* ubi mel significatur quod in Hybla monte conficiebatur.

Quam ad formam prope accedunt exempla in quibus flumina aut rivi pro aqua usurpantur, ut VII 88, 6: *Qui Nilum ex ipso protinus ore bibunt.* I 49, 17 sq.: *Avidam rigens*

---

1) Quod manus legitur XIV 83, 1 pro scalptorio, i. e. pro instrumento, quo ad pruritum scapularum fricandum atque scalpendum utebantur, hoc metaphorae censeo subiciendum, cum non instrumentum manu factum videatur significari, sed quod manus vicem supplebat aut instrumentum instar manus.

Dercenna placabit sitim Et Nutha, quae vincit nives. VIII 28, 7 sq.: *An tua multifidum numeravit lana Timavum, Quem pius astrifero Cyllarus ore bibit?* Non eodem modo dictum est, sed tamen huc spectare videtur quod Fucinus et stagna Neronis exstant pro spectaculis naumachiae quae ibi edebantur Sp. 28, 11: *Fucinus et diri taceantur stagna Neronis: Hanc norint unam saecula naumachiam.*

Non semel audaciore utitur Martialis metonymia cum rem significaturus locum respicit ubi creata vel effecta est vel empta, quo ex genere haec sunt: Sidon adhibetur pro purpura Sidonia II 16, 3: *Quid torus a Nilo, quid Sidone tinctus olenti?* XI 1, 2: *Quo tu, quo, liber otiose, tendis Cultus Sidone non cotidiana?* quo utroque loco accedit metonymia attributiva, quae efficit ut tropus qui inest in nomine urbis melius intellegatur [1]). Eodem modo usurpatur Tyrus II 29, 3: *Quaeque Tyron totiens epotavere lacernae.* Quibus festivius etiam exemplum exstat VI 11, 7: *Te Cadmea Tyros, me pinguis Gallia vestit.* Addo IX 37, 1: *Cum sis ipsa domi mediaque ornere Subura,* i. e. medicaminibus et fucis aliisque rebus ad cultum corporis pertinentibus, quae emebantur ex media Subura, vico Romano celebri. Sic etiam saepta sumuntur pro omnibus quae in iis venalia exposita erant X 80, 4: *Tota miser coëmat Saepta feratque domum.* Praeterea Setia adhibetur pro vino Setino X 36, 6: *aut cellis Setia cara suis.* Simile habemus III 82, 22: *Ligurumque nobis saxa cum ministrentur,* i. e. vina in saxoso Liguriae solo nata [2]). Corinthos legitur pro aere Corinthio IX 59, 11: *Consuluit nares, an olerent aera Corinthon,* quam ad formam pertinet etiam XIV 177 l., ubi Hercules Corinthius dicitur pro statua Herculis ex aere Corinthio fabricata. E fabula deprompta est metonymia quae inest in versu VI 55, 2: *Et nido niger alitis superbae Fragras plumbea Nicerotiana,* i. e. delibutus unguentis quae conficiuntur ex odoratis herbis et floribus quibus Phoenix nidum exstruit. Cui formae similis exstat IX 11, 4: *Quod nidos olet alitis superbae,* i. e. cinnamomum et casias [3]). Neque his cum exemplis discrepare mihi

---

1) Cf. Lindskog l. s. s. p. 40, 41.

2) Vide Friedlaenderum, qui in adnotatione ad hunc versum nonnulla similis formae exempla composuit.

3) Vide Friedl. ad VI 55, 2 (Plin. N. H. XII 85).

videntur quae legis X 68, 11: *Tu licet ediscas totam referasque Corinthon,* i. e. linguam Graecam vel potius quidquid Corinthi est blanditiarum et facetiarum.

Pauca mihi nunc dicenda sunt de ea forma quae materiam exhibet pro re ex ea fabricata. Qua de re in varietate ac dissensione sunt virorum doctorum sententiae ita, ut, utra probanda sit, haud facile diiudicetur, cum alii ad synecdochen totum hoc genus referant, alii ad metonymiam [1]. Quam difficultatem optime solvisse mihi videtur Lindskog, qui delectum fecit huius formae exemplorum atque synecdochae subiecit ea, in quibus materia pro re ex ea confecta ita usurparetur, ut quodammodo aut totum pro parte aut genus pro specie positum intellegi posset. Sin autem pro re id ponatur ex quo materia rei sumpta sit, ut, qualis materia antea fuerit, respiciatur, metonymia summo iure constitui ei videtur [2]. Quo ex genere sunt etiam nonnulla exempla ad animalia pertinentia, cum materia, quae est in re ex ea facta, ab animalibus, unde sumitur, et re et cogitatione seiuncta sit. Omissis igitur locutionibus quae ferrum pro gladio, aurum vel argentum pro vasis aureis vel argenteis, gemmam pro rebus e gemma factis hisque similes exhibent formas, haec exempla mihi videntur hoc loco commemoranda: uva pro vino II 53, 4; IV 44, 2; vitis pro vino XIII 114, 2 [3]; taeda pro face pinea III 93, 26; IV 13, 2; VI 2, 1; lotos pro tibia VIII 51, 14; lentiscum pro dentiscalpio VI 74, 3; XIV 22, 1; abies pro theca abiegna XIV 84, 2; papyrus pro charta III 2, 4; XIII 1, 3; coccum pro colore coccineo III 2, 11; V 23, 5; pro veste coccinea X 76, 9; ilex pro pertica ilicea XIV 92, 1; nardi folium pro unguento nardino XIV 146, 1; nardum pro oleo nardino II 59, 3; III 65, 8; IV 13, 3; cedrus pro oleo cedrino III 2, 7; V 6, 14; VIII 61, 4; buxus pro pectine XIV 25, 2. Neque aliter dici videntur talia: quercus pro corona quernea IV 1, 6; 54, 1; VIII 82, 7, IX 23, 5; oliva pro corona oleagina IX 23, 5; 35, 9; quibus formis audaciorem habes XIV 89, 1: *Accipe felices, Atlantica munera, silvas,* i. e. mensam citream. Huc etiam pertinet meto-

---

1) Cf. Lindskog p. 23, 2.

2) pp. 20, 23, 39, 40.

3) Proprie exstat vitis usurpata VIII 51, 12, non pro vino, pro quo eam positam docet Georges in lexico.

nymia e fabula deprompta quae inest in versu IV 32, 1: *Et latet et lucet Phaethontide condita gutta;* significatur enim electrum quod nasci putabant e lacrimis Phaethontis sororum. Ad bestias referuntur haec exempla: murex pro purpura vel colore purpureo I 49, 32; IV 4, 6; VIII 48, 5; 72, 1; IX 62, 1; XII 63, 4; rhinoceros pro gutto e cornu eius facto XIV 52: *Gestavit modo fronte me iuvencus: Verum rhinocerota me putabas*; i. e. tantus eram, ut e rhinocerotis cornu factus esse viderer. Simile habes XIV 53: *Nuper in Ausonia domini spectatus harena Hic erit ille tibi, cui pila taurus erat,* i. e. guttus hic factus est e cornu rhinocerotis qualem nuper vidimus in amphitheatro iactantem tauros quasi pilas. Praeterea testudo ponitur pro putamine testudinis XIV 87, 1: *Accipe lunata scriptum testudine sigma;* XII 66, 5: *Gemmantes prima fulgent testudine lecti.* Eodem modo adhibetur adiectivum ex hoc derivatum vocabulo IX 59, 9: *Et testudineum mensus quater hexaclinon,* i. e. hexaclinon testudineis putaminibus exornatum. Quod vero leo sumitur IX 43, 1 pro pelle leonis, quam formam huc referendam putat Lindskog [1]), hoc quia pellis detracta viventis bestiae speciem praebere et totum pro parte potius intellegi potest positum, synecdochae censeo subiciendum. Aliter res sese habet Sp. 3, 4, ubi equus exstat pro sanguine equino, quod exemplum quamquam aliquantum distat ab aliis huius formae, quae adhuc attuli, tamen huc spectare videtur. Neque non pertinet ad hoc genus, quod Indi vel Indici vel Libyci dentes (sc. elephantorum) pedes eburneos significant qua de re conferas II 43, 9; IX 22, 5; X 98, 6; XIV 3, 2.

Iam vero vasa vel aliae res appellantur ad ea significanda quae in iis insunt. Sic pro vino usurpantur vocabula haec: amphora I 18, 8; VI 27, 8; VIII 45, 4; XIII 117, 1; testa I 105, 4; cadus vel cadi X 36, 2; XIII 112, 2; 118, 2; triens vel trientes IX 90, 5; X 13, 5; XI 6, 9; XIV 103, 1; calix II 1, 10; pocula VIII 39, 4; IX 11, 7; X 48, 24; XI 104, 20; XIV 112, 1; lagona IV 69, 3; X 45, 6; XII 82, 11; pro unguentis leguntur alabastra XI 8, 9; ampullae III 82, 26; plumbea VI 55, 3; pocula medicata pro potione medicata IX 94, 1. Testa nominatur pro oleo XII 63, 2; acerra pro ture X 24, 5; lagona pro veneno XII 91, 4; pro

---

1) p. 40.

aqua XIV 116 l.; solium pro aqua II 42, 1; 70, 1; XI 95, 2; ferculum pro cibo III 50, 5; IX 81, 3; XI 31, 21. Quam ad formam prope accedunt talia: libra pro eo quod ponderatur II 44, 2; 76, 1; III 62, 4; VII 86, 7; VIII 71, 1; 6; 12; X 31, 4; 37, 8; 55, 3; 57, 1; XI 27, 9; 37, 1; 100, 5; 105, 1; XII 36, 1; 55, 7; 65, 4; XIV 97, 2; trapeta pro oleo VII 28, 3; salsae molae pro farre sale permixto VII 54, 5; colus pro staminibus vel pensis VII 47, 8; IX 17, 2; pecten pro stragulis textis XIV 150, 2: *victa est Pectine Niliaco iam Babylonos acus,* ubi etiam acus designat stragula eaque acu picta. Praeterea foci sumuntur pro igne I 21, 2; VI 73, 6; VIII 30, 8; 51, 4; IX 61, 20; X 25, 2; XI 8, 9; focus legitur pro victu X 47, 4; mensa vel mensae pro cibo vel cibis I 103, 8; III 17, 1; 45, 1; 50, 6; V 44, 7; 78, 11; X 37, 9; 54, 1; tabula vel tabulae pro pictura vel picturis XI 102, 4; XII 69, 1; tabella pro pictura I 109, 21; X 32, 6; tabellae pro litteris aliisve scriptis III 63, 9; VIII 37, 1; 3; IX 87, 3; 102, 1; pagina pro carminibus aliisve scriptis I 4, 8; 53, 12; V 2, 2; 16, 10; VII 12, 3; IX praef. 2; 77, 2; X 4, 10; 45, 2; 78, 13; XI 16, 3; 17, 1. Charta vel chartae usurpantur pro carminibus I 25, 7; II 8, 1; III 20, 2; IV 31, 4; V 25, 5; 26, 2; 53, 3; VI 60, 9; VII 44, 7; 51, 8; 80, 4; IX 76, 10; X 2, 11; 4, 7; XI 3, 7; 15, 1; XII 4, 4; 95, 3; XIII 1, 7; XIV 196, 2; pro epistulis VII 6, 5; IX 35, 5; 99, 2; Arpinae chartae pro Ciceronis scriptis X 19, 17; tabulae supremae pro testamento V 32, 1; 39, 2; VI 63, 3; pro quo exstant cerae ultimae IV 70, 2.

Sed etiam contraria forma reperitur qua pro loco aut alia pro re id appellatur quod in iis est. Harena sumitur pro loco harenoso Sp. 4, 3; 5, 4; 9, 1; 16, 1; 19, 1; 21, 2; I 14, 2; 43, 12; 48, 5; II 75, 8; V 31, 5; 65, 7; VIII 26, 5; 30, 1; 55, 5; 67, 4; 80, 3; IX 83, 1; X 25, 1; XIV 53, 1; seges pro agro V 42, 4; merum pro poculo IX 43, 4; faex pro fundo vasis XIV 13, 1; nimbus vitreus pro vase vitreo nimbo aliove humore repleto XIV 112 l. Accedunt talia: pustula pro argento VIII 51, 6; nodus pro crinibus in nodum coactis V 37, 8; pro cingulo VI 13, 5; IX 101, 5; iuga pro elephantis iugalibus VIII 65, 10; herbarum colores pro vestibus viridibus V 23, 1: *Herbarum fueras indutus, Basse, colores.*

Quibus adiungo IV 19, 5: *Seu lentum ceroma teris tepidumve trigona;* ceroma enim et trigon sumi videntur pro locis ubi pugnabatur et pila vel potius trigone ludebatur, quamquam *teris* pertinet ad propriam horum vocabulorum significationem [1]). Huc spectat etiam quod pro regione septemtrionali usurpantur Odrysii triones VII 80, 1; Parrhasia ursa IV 11, 3; ursa horrida Parrhasio iugo VI 25, 2; Arctos VII 7, 1; IX 84, 6. Denique quamquam non eodem modo dicta sunt, tamen ab hac forma non plane abhorrent talia: frigora pro lacerna frigida II 46, 8; morsus aceti pro aceto acri VII 25, 5; umbra palmitis pro palmite umbroso XII 31, 1; frigus aquae pro aqua frigida XIV 116, 2; Tiburtina frigora pro Tibure frigido IV 57, 10; umbra pro porticu vel alio loco umbroso V 10, 5; 20, 9; IX 84, 3; XI 47, 3; pro platano quae umbram facit IX 61, 16; tenebrae pro tenebrosis balneis II 14, 12; frigus pro loco frigido IV 64, 14; frigora saxi pro saxo frigido I 55, 5: *Quisquam picta colit Spartani frigora saxi.* Quibus adiungo III 58, 45: *At tu sub urbe possides famem mundam,* i. e. praedium mundum et elegans, sed sterile, in quo nihil nascitur quod famem possit placare.

Reliqua exempla ad totum hunc tropum pertinentia haec sunt: lyra exstat pro cantu lyrae VIII 6, 6; quo eodem modo usurpatur fistula IX 61, 12; cithara XIV 165, 1: *Reddidit Eurydicen vati* (sc. cithara). Addo IV 64, 20: *Ne blando rota sit molesta somno,* i. e. strepitus rotae; V 84, 3: *Et blando male proditus fritillo,* i. e. sono fritilli; I 53, 9: *Sic ubi multisona fervet sacer Atthide lucus,* i. e. cantu lusciniae; IX 29, 8: *Nec quae Strymonio de grege ripa sonat,* i. e. clangore gruum. Eodem sensu usurpantur sturni IX 54, 7. Praeterea flagellum sumitur pro verberibus I 104, 3, pro quibus leguntur flagra VIII 23, 3: *Si levis ista tibi flagrorum causa videtur.* Assyrii nidi inveniuntur pro Phoenice positi V 7, 1: *Qualiter Assyrios renovant incendia nidos* [2]). Audaciora habes exempla haec: XI 1, 13 sq.: *Sunt illic duo tresve, qui revolvant Nostrarum tineas ineptiarum,* i. e. carmina mea quae tineis escae relinqui deberent; XIV 118, 1:

---

1) Cf. Friedlaenderi ad hunc versum adnotationem.

2) Quam ad rem conferas Herodoti Hist. II 73; Taciti Ann. VI 28; Plinii N. H. X 2; Ovidii Metam. XV 392 sq.

Massiliae fumos miscere nivalibus undis Parce, i. e. fumosa vina Massilitana; XI 52, 18, ubi r u r a ponuntur pro opere de agricultura. Ad s i d e r a pertinent talia: IV 66, 13: *Nec nocuit tectis ignis, nec Sirius agris,* i. e. nec aestus per dies caniculares agris, i. e. segetibus nocuit; V 71, 3: *Rura Cleonaeo numquam temerata leone,* i. e. rura numquam siccata calore solis Augusto mense, quo saevit leo; IV 3, 5 sq.: *Sidus Hyperborei solitus lassare Bootae Et madidis Helicen dissimulare comis,* i. e. solitus tolerare et patientia quasi vincere frigus plagae septemtrionalis quae Helicae sive Ursae est subiecta. Idem fere habemus IX 45, 1 sq.: *Miles Hyperboreos modo, Marcelline, triones Et Getici tuleras sidera pigra poli.* Praeterea s o l vel s o l e s usurpantur pro ardore solis vel aestu I 77, 4; II 41, 12; III 20, 12; 44, 7; VII 13, 1; VIII 14, 4; 33, 14; X 12, 7; 42, 2; XII 29, 15; XIII 80, 2; XIV 28, 1.

Denique mihi liceat afferre nonnullos locos qui t r o p u m exhibent a t t r i b u t i v u m, cuius rei praeter ea, quae supra iam commemoravi, haec habes exempla: I 55, 5: *Quisquam p i c t a colit Spartani f r i g o r a saxi;* II 46, 8: *Pro scelus! et lateris f r i g o r a t r i t a tui;* III 58, 45: *At tu sub urbe possides f a m e m m u n d a m;* VI 11, 7: *Te Cadmea Tyros, me p i n g u i s G a l l i a vestit;* VII 54 5: *Consumpsi s a l s a s q u e m o l a s et turis acervos;* VIII 30, 8: *Saevior in l a s s o s ire sinistra f o c o s;* XII 82, 11: *F u m o s a e feret ipse tropin de faece l a g o n a e;* XIV 110: *Hac licet in gemma, servat quae nomina Cosmi, Luxuriose, bibas, si f o l i a t a s i t i s;* XIV 112 l.: *N i m b u s v i t r e u s.*

§ 7. Metonymia saepe versatur i n r e b u s q u a r u m a l t e r a s o l a i n s e n s u s c a d i t, c u m a l t e r a s e n s i b u s n o n p e r c i p i a t u r. Cuius tropi vis ac potestas late patet, cum et res quae sensibus percipitur, id possit significare, quod est ab iis sevocatum, et hoc illam. Quam ob rem duae huius generis partes per se efficiuntur, quarum in altera r e s, q u a e i n s e n s u s c a d i t, e a m d e s i g n a t q u a e s e n s i b u s n o n p e r c i p i t u r. Ac primum quidem proferam exempla ab humano corpore petita ita ut initium ducam ab iis corporis partibus, quae sedes sunt quinque sensuum eorumque pro vi et actione ponuntur, vel etiam pro iis animi facultatibus et affectionibus, ad quas pertinent. Sic o c u l i usurpantur pro aspectu IX 45, 4; 59, 3; XII 15, 2; p a l a t u m legitur pro gustatu XIV 220, 1; a u r i s et a u r e s

non solum pro auditu vel audientia, ut VI 64, 8; XI 24, 2; sed etiam pro iudicio vel existimatione earum rerum quae auditu percipiuntur, quam significationem habes IV 82, 4; VI 1, 3; VII 12, 2; 28, 8; IX 26, 9; XIII 2, 9. Tum ex eo quod narium contractio contemptum significat et fastidium [1]), metonymia ducta est in his: I 3, 6: *Et pueri nasum rhinocerotis habent,* i. e. nimiam deridendi ludendique libidinem et licentiam; I 41, 18: *Non cuicumque datum est habere nasum,* i. e. acumen et facultatem ioci et derisionis; V 19, 17: *Iam dudum tacito rides, Germanice, naso,* i. e. fastidio; XII 88, 1: *Tongilianus habet nasum,* i. e. facultatem irrisionis et dicacitatis.

Eodem sensu usurpatur adiectivum ex hoc derivatum vocabulo II 54, 5; XII 37, 1; 2; XIII 2, 1. Pro ira exstat nasus VI 64, 28. Sed etiam alia corporis partes identidem ea significant, quae animi sunt atque in iis quasi collocata credebantur. Frons primum quidem cum adiectivis in affectione animi propriis coniungitur quae est metonymia attributiva. Exempla affero haec: I 4, 5 sq.: *Qua Thymelen spectas derisoremque Latinum, Illa fronte precor carmina nostra legas*; IV 6, 2: *Et frontis tenerae cupis videri;* IV 14, 11: *Nec torva lege fronte, sed remissa;* VII 12, 1: *Sic me fronte legat dominus, Faustine, serena*; VII 26, 5: *Si te receptum fronte videris tota;* X 64, 2: *Non tetrica nostros excipe fronte iocos;* XI 2, 1 sq.: *Triste supercilium durique severa Catonis Frons;* XIII 2, 10: *Nec matutina si mihi fronte venis.* Tum vero severitas eadem voce declaratur I 24, 4; XIV 183, 2. Similiter ponitur supercilium I 24, 2, cum superbiae notionem exprimit XI 2, 1; IX 79, 2: *Et Palatinum Roma supercilium* (sc. *oderat*), i. e. superbiam servorum Caesaris. At sine vituperatione dicitur hoc vocabulum I 4, 2: *Terrarum dominum pone supercilium,* i. e. gravitatem vel maiestatem, 'ubi obversari videtur Iuppiter ille qui cuncta movet supercilio' [2]). Os legitur pro impudentia IX 94, 2; dens pro mordacitate vel dicacitate X 3, 1; bilis pro ira V 26, 3; VI 64, 24; 30; mentula pro cupiditate III 76, 3; stomachus pro gustatu X 45, 6; XIII 3, 8; quo eodem sensu usurpatur etiam III 77, 9, ubi dicit poeta de Baetico quodam, qui bonos cibos fastidit putridosque appetit, quam ob rem turpibus rebus ei

1) Cf. Quint. XI 3, 80.

2) Hor. carm. III 1, 8; cf. Lindskog p. 45.

videtur addictus: *Nescio quod stomachi vitium secretius esse Suspicor*, quamquam idem vocabulum et proprio sensu adhibetur hoc loco [1]). In frequenti usu est metonymia verborum cor et pectus, quae paene promiscue adhibentur; significant enim universe animum aut id, quod in animo est gravissimum, mentem dico vel intellegentiam, quo sensu exstat cor II 8, 6; III 26, 4; 27, 4; VII 78, 4; XI 84, 17; pectus vel pectora IV 5, 1; VII 40, 2; 69, 2; VIII 73, 2; X 25, 4. Omnibus autem aliis qui huc pertinent locis pectus vel pectora denotant singula ea, quae mens humana continet, ut inveniendi sollertiam, memoriam, amorem. Pro ingenio enim usurpantur I 25, 2; IX carm. praef. 1; IX 77, 4; XI 10, 1; 53, 2; XII 44, 4; pro memoria VI 25, 4; 85, 9; pro amore VII 17, 11 et paulo audacius pro consiliis V 5, 4: *Nam tibi nascentes domini cognoscere curas Et secreta ducis pectora nosse licet.* Imprimis vero, qui hoc loco commemorentur, digni sunt versus VI 64, 16 sq., in quibus cor et pectus componuntur: *Sed tibi plus mentis, tibi cor limante Minerva Acrius et tenues finxerunt pectus Athenae.* Quibus igitur in exemplis cum ea, quae animi sunt, per corporis partes, in quibus collocata credebantur, significata inveniantur, non est mirandum, si etiam ea, quae magis ad ipsum corpus spectant, hoc modo illustrantur. Sic venter sumitur pro helluatione vel luxuria I 20, 3; quo eodem sensu exstat gula I 20, 3; II 40, 8; III 17, 3; V 50, 6; 70, 5; XI 86, 6; XIII 62, 2; 85, 2. Frequentius autem sic ponitur adiectivum ex hoc derivatum vocabulo, quam ad rem conferas III 22, 5: *Nil est, Apici, tibi gulosius factum.* Simile habemus VII 20, 1; 22; VIII 23, 1; IX 10, 4; X 59, 5; XI 61, 13; XII 41, 1; 64, 2; XIII 71, 1. Gustatus vel potius iudicium quoddam in gustatu positum significatur voce gula VI 11, 6; XIV 220, 2; latus legitur pro robore corporis III 46, 6. Deinde lacerti appellantur pro viribus XIV 49, 1; sinistrae pro agilitate manus sinistrae VII 72, 11; pedes pro velocitate II 14, 4; XII 36, 11; carnifices pedes pro podagra XII 48, 10.

Iam vero sequuntur exempla in quibus instrumenti ratio dilucide apparet, ut X 87, 11: *Pugnorum reus ebriaeque noctis,* i. e. reus de petulantia et vi, quam ebrius alicui intulit. Sic manus ponitur pro contactu II 41, 10; osculum pro basio

1) Vide Friedl. ad hunc locum.

VI 66, 8; VIII 44, 5; XI 23, 13; XII 93, 4; XIII 18, 2; pinna pro volatu VIII 33, 8; IX 13, 7. Quae instrumenti ratio inesse videtur etiam in vocabulis lingua et os, quae quomodo usurpentur demonstrabunt talia: lingua significat orationem vel sermonem I pr. 10; IV 5, 1; VII 47, 2; X 76, 6; vocem XI 91, 12; XII 57, 25; os dicitur pro verbis IV 14, 3; 61, 2; V 8, 6; VII 63, 8; VIII 56, 20; X 37, 2. Quam ad formam pertinere censeo etiam Sp. 29, 5: *Lex erat, ad digitum posita concurrere parma,* i. e. donec sublato digito alter gladiatorum se victum ultro fateretur. Ac quoniam de corporis partibus agitur, haud alienus mihi videtur hic locus quo examinentur exempla quae sunt haec: sanguis pro genere XII 44, 1; vulnera pro morte II 84, 2; cinis vel cineres pro morte I 1, 6; V 13, 4; VIII 38, 16; IX carm pr. 2. Quibus denique adiungo, quod fames legitur pro inedia I 78, 6.

Deinde locus nominatur ad ea significanda quae ibi gerebantur vel geruntur, cuius rei festivum exstat exemplum XIV 1, 11: *Vis scribam Thebas Troiamve malasve Mycenas?* i. e. bella aut fata harum urbium. Eodem sensu usurpantur Cannae VI 19, 5; maior Caelius et minor appellantur XII 18, 6 pro salutationibus quas subit aliquis apud patronos in illis montibus habitantes. Quibus adiungo I 76, 9 sq.: *Praeter aquas Helicon et serta lyrasque dearum Nil habet et magnum, sed perinane sophos. Quid tibi cum Cirrha?* quibus poetarum munus designatur, cui formae similem habes X 64, 3: *Heliconis gloria nostri,* i. e. poeseos latinae decus. Tria fora posita videntur pro tribus iudiciis VII 65, 2: *Lis te bis decimae numerantem frigora brumae Conterit una tribus, Gargiliane, foris* [1]). Palaestrae leguntur pro luctis IV 55, 7; X 55, 4; thermae pro lavando VII 32, 7; pro quo sumuntur balnea XI 22, 8. Neque plane abhorrent talia: tori pro concubitu IV 22, 1; VI 21, 6; VII 74, 8; quo eodem sensu exstat lectulus XIV 39, 1; mensa vel mensae pro convivio VIII 39, 1; 50, 1; 51, 19; IX 14, 1; 34, 3; X 47, 8; 48, 13; XI 11, 4; 65, 5; XII 48, 16; 62, 11; XIII 91, 1.

Cognationem quandam cum hac figura habet ea, quae exhibet, ut ita dicam, instrumenti rationem, ut manifestissime apparet ex iis quae sequuntur. Lyra adhibetur pro lyra canendo II 7, 6;

1) Qua de re conferas Friedlaenderi ad hunc locum adnotationem.

pila pro pilae lusione II 7, 6; X 86, 2; VII 32, 7: *Non pila, non follis, non te paganica thermis Praeparat,* ubi etiam follis et paganica hoc sensu usurpantur. Addo VII 72, 9 sq.: *Sic palmam tibi de trigone nudo Unctae det favor arbiter coronae,* i. e. sic victoriam in ludo trigonalis pilae tibi tribuant. Praeterea cruces sumuntur pro tormentis X 82, 6; pocula pro conviviis XI 104, 3; nuces pro nucibus ludendo XIV 18, 1; rosae pro coronando III 68, 5: *Hinc iam deposito post vina rosasque pudore,* ubi vina significant potationem vini, quod idem habes II 89, 1; III 91, 7. Similia sunt haec: sidus pro sideratione VII 92, 9; XI 85, 1; venenum pro veneficio VI 19, 1; chartae pro scribendo XIV 38, 1; libelli pro legendo V 20, 8. Quibus denique subiungo plus minusve huc spectantia exempla quae sequuntur: X 104, 6 sq.: *Altam Bilbilin et tuum Salonem Quinto forsitan essedo videbis,* i. e. quinta statione vel quinto itineris die essedo facti [1]); XI 104, 9: *Basia me capiunt blandas imitata columbas,* i. e. basia columbarum. XIV 183, 1: *Perlege Maeonio cantatas carmine ranas,* i. e. pugnam ranarum cum muribus; V 65, 1 sq.: *Astra polumque dedit, quamvis obstante noverca, Alcidae Nemees terror et Arcas aper,* i. e. caedes eorum; VIII 72, 4: *Quem pulcherrima iam redire Narbo Ad leges iubet annuosque fasces,* i. e. ad ius dicendum et ad magistratum gerendum.

Quo exemplo ad aliam pervenimus huius tropi formam; saepissime enim signum ponitur pro dignitate vel re cuius proprium est. Bis seni fasces designant consulatum IX 42, 6, pro quo legitur purpura VIII 66, 8. Libertas, cuius insigne erat pilleum, significatur II 68, 4: *Totis pillea sarcinis redemi.* Similem habes formam III 36, 10, ubi rudis sumitur pro liberatione ab officiis, quod tractum est a gladiatoribus, qui ingravescente aetate rudem accipiebant, qua donati non cogebantur amplius pugnare [2]). Quemadmodum toga, ut supra vidimus, homines significat toga indutos, eodem modo condicionem eorum et officium denotat. II 53, 6: *Contentus nostra si potes esse toga,* i. e. nostra condicione. Clientis officium significatur III 4, 6: *Non poterat vanae taedia ferre togae*; X 47, 5; XII 18, 17; ordo advocatorum II 90, 2: *Gloria Romanae, Quintiliane,*

---

1) Wannowsky p. 27. Ceterum cf. Friedl. adnotationem.

2) Cf. Friedl. adnotationem.

togae. Ad poesin spectant haec: III 20, 7: *An in cothurnis horridus Sophocleis,* i. e. an componit tragoedias, quod idem habes V 30, 1 sq: *Varro, Sophocleo non infitiande cothurno, Nec minus in Calabra suspiciende lyra,* quibus verbis designatur poesis tragica, qua claruit Sophocles, lyrica, cuius princeps Horatius. Simili modo usurpatur cothurnus, tragoedorum calceus, VIII 18, 7; XI 9, 1. Quae vis transfertur etiam in adiectivum ex hoc derivatum vocabulo, qua de re conferas V 5, 8: *Grande cothurnati pone Maronis opus;* VII 63, 5: *Sacra cothurnati non attigit ante Maronis.* Cothurnatum autem dicit Maronem propter gravitatem carminis heroici adaequantem eam, quae inest in tragicorum poetarum operibus. Addo VII 23, 1 sq.: *Phoebe, veni, sed quantus eras, cum bella tonanti Ipse dares Latiae plectra secunda lyrae,* i. e. cum Lucano ipse secundum a Vergilio carminis epici gloriam concederes. Simili modo ars significatur per rem, quae hac arte efficitur vel qua haec ars exercetur. IX 73, 10: *Si dare sutori calceus ista potest,* i. e. ars sutoria, pro qua appellatur subula III 16, 2; pellicula III 16, 6: *sed te, mihi crede, memento Nunc in pellicula, cerdo, tenere tua,* i. e. intra artificii et condicionis tuae terminos, quae metonymia in proverbii venit consuetudinem, ut nos dicimus: 'bei seinen Leisten bleiben' [1]. A quibus vix licet plane disiungere III 16, 4: *Ut velles corio ludere, cerdo, tuo,* i. e. ut velles impensis tuis ludos exhibere. Corium designat igitur rem arte sutoria comparatam, ut etiam in versu sequenti: *Lusisti corio* [2]. Praeterea haec commemoranda sunt: pro matrimonio dicitur fax X 33, 4; thalamus X 63, 7; torus X 71, 5; urna pro sorte vel potius fortuna X 6, 1; ceroma pro lucta VII 32, 9; Tarpeia frons sumitur IX 3, 8 pro ludis in Iovis Capitolini honorem institutis, in quibus victores querna fronde coronabantur. Pro iisdem ludis usurpatae inveniuntur Tarpeiae coronae IX 40, 1: *Tarpeias Diodorus ad coronas Romam cum peteret Pharo relicta.* Simili modo adhibentur praemia VI 85, 8: *Viderat Alphei praemia quinta modo,* i. e. quinque Olympica certamina quae ad Alpheum flumen fiebant. Deinde ponitur navalis

---

1) Cf. Friedl. adnotationem; Otto 'Sprichwörter' p. 272.

2) Qua locutione ad proverbium alludere videtur Martialis „de alieno corio ludere, um eine fremde Haut spielen“. Ceterum vide Friedl. annotationem.

tuba pro pugna navali Sp. 28, 2; sica pro munere gladiatorio III 16, 2; palma pro victoria Sp. 31, 2; IV 23, 4; V 31, 7; VII 72, 9; VIII 78, 13; X 53, 4; XI 33, 1; laurus vel laurea pro triumpho II 2, 6; VII 6, 10; VIII 50, 5; pro litteris laureatis victoriam significantibus VII 5, 4; IX 35, 6; laurus pro ludis ob victoriam celebratis VIII 78, 16: *Quod spectatorem te tua laurus habet.* Quibus subiungo quod mors indicatur tumulo VIII 38, 5; rogo III 95, 8; IV 25, 2; extremis rogis X 63, 4: *Bis mea Romano spectata est vita Tarento, Et nihil extremos perdidit ante rogos.* Denique sequuntur exempla nonnulla, in quibus temporis notiones demonstrantur: lux pro die Sp. 24, 2; I 28, 2; 68, 5; 109, 17; III 6, 1; 63, 7; IV 1, 1; 15, 1; VI 7, 3; VII 10, 5; 22, 2; 23, 3; VIII 20, 1; 45, 2; IX 39, 1; 52, 4; 55, 1; X 23, 5; 24, 2; 38, 13; 62, 6; XI 22, 8; 36, 1; 56, 14; 65, 2; XII 60, 6; XIV 60, 2; 141, 1; 223, 2; boni soles pro diebus iucundis V 20, 12 et eodem sensu soles X 51, 6; lustrum pro quinquennio I 101, 4; IV 1, 7; 45, 3; X 38, 9; 71, 5; XII 31, 7.

§ 8. Eis quae sequuntur exemplis id quod sensibus percipi non potest, rem declarat ad sensus propius admotam. Ac primum quidem a temporis notionibus quomodo metonymia ducta sit, apparebit ex his: VIII 36, 4: *Clarius in toto nil videt orbe dies,* i. e. lumen diurnum vel sol. Simili modo dies usurpatur pro luce VII 12, 8; VIII 14, 4; XII 57, 25; VII 74, 5: *Maternaeque sacris ornentur frondibus Idus,* i. e. dies natalis tuus celebretur Idibus Maiis ornenturque postes frondibus; XII 36, 3 sq.: *Interdum aureolos manu crepantes, Possint ducere qui duas Kalendas,* i. e. quibus victus in duos menses parari possit; X 62, 7: *Tostamque fervens Iulius coquit messem,* i. e. aestivi solis ardor; VII 37, 6: *Cum flaret media fauce December atrox;* i. e. ventus December; qui versus etiam eo memoratu dignus est, quod metonymiam exhibet attributivam. Ver, ut ad anni tempora transeam, adhibetur pro floribus vernis II 46, 2; VI 80, 5; IX 13, 2. Simili modo usurpatur autumnus, qua de re conferas VIII 68, 10: *Autumnum sterilis ferre iubetur hiems,* i. e. fructus autumnales; III 58, 7: *Et multa fragrat testa senibus autumnis,* ubi vinum significatur. Aestas legitur pro calore solis aestivi X 30, 14; hiems pro algendo II 46, 7: *Tu spectas hiemem succincti lentus amici.*

Denique huc spectat metonymia attributiva, quae exstat I 49, 19: *At cum* ***December canus*** *et bruma impotens Aquilone rauco mugiet.*

Iam vero **res designantur per actionem aliamve rem, qua effectae sunt vel quacum alio quodam modo cohaerent.** Sic **labor** sumitur pro eo, quod labore factum est Sp. 1, 2; 7; 28, 1; IV 39, 5; VIII 36, 3; 51, 1; IX 44, 2; X 89, 1; XII 5, 2; XIV 95, 2; et eodem sensu **opus** Sp. 1, 8; I 25, 2; 70, 8; II 77, 6; III 38, 8; IV 29, 2; 82, 8; V 5, 8; 40, 2; VI 13, 2; 73, 2; VII 63, 6; 69, 5; 84, 8; VIII praef. 3; 6, 8; 33, 16; 36, 2; 51, 7; IX 26, 10; 43, 6; 44, 2; 84, 10; X 2, 2; XII 5, 2; XIV 2, 2; 115, 2; 208, 2; 222, 1; **cura** I 25, 6; 45, 1; 66, 5; 107, 5; V 5, 3; VI 68, 5; VII 97, 5; X 2, 1. Quibus similia occurrunt IV 39, 2 ubi **artes** dicuntur pro artis operibus. XIV 115, 1: *Aspicis ingenium Nili,* i. e. calices vitreos ingeniose fabricatos. Praeterea **pictura** exstat pro tabula picta IX 74, 1; 76, 9; X 32, 1; **fetus, partus** pro iis, quae bestiae procreant Sp. 12, 3; 14, 2; 3; III 58, 37; VII 31, 3; IX 71, 5; **fletus** pro lacrimis VI 85, 11; X 26, 5; **messis** vel **messes** pro frugibus messis vel metendis VI 80, 10; 86, 5; IX 90, 11; X 62, 7; XI 18, 23; XIII 12, 1. A quibus vix licet disiungere talia: **rapina** vel **rapinae** pro rebus raptis vel rapiendis I 104, 19; VIII 78, 8; X 87, 18; XII 55, 6; **furta** pro rebus furtivis VII 20, 13; **recessus, secessus** pro locis remotis vel reconditis IV 64, 4; V 67, 1; VI 43, 9; VII 35, 7; 63, 3; X 30, 6; 58, 1; 104, 14.

Sequuntur **exempla, in quibus consequentia quaedam significandi causa appellantur. Requies** pro tranquillo ad quietem loco IV 25, 7; eodemque sensu usurpantur **otia** X 44, 4; **solitudo** pro eo, quod solitudinem praebet XII 24, 1; **sapores** pro cibis delicatis XIII 61, 1; **gustus** pro promulside X 48, 13; XI 31, 4; 52, 12; **amictus** pro veste VII 33, 3; **funus** pro corpore X 71, 6; **census** pro bonis vel re familiari II 90, 5; IV 75, 3; V 38, 1; XII 6, 9; **pensio** pro mercede habitationis III 30, 3; 38, 6; VII 92, 5; XII 32, 3; **regnum** vel **regna** pro terris quae imperio alicuius tenentur, atque ita pro quavis regione IV 57, 3; VII 7, 4; 64, 3; IX 64, 3; X 103, 10; XII 31, 8; 57, 19; XIV 184, 1; **terror** pro eo, quod terrorem ac tumultum facit V 65, 2; IX 71, 7; **turba** pro rerum acervo III 58, 12; IV 29, 1; XII 34, 7; XIII 3, 1; 83, 2; **lux** pro sole

VIII 21, 9; delicium vel deliciae pro re carissima I 7, 1; 109, 5; VII 50, 2; 88, 2; gloria pro re, quae gloriam affert Sp. 18, 2; VI 80, 6; VII 50, 2; VIII 30, 2; 55, 13; IX 43, 5; 60, 4; X 89, 1; XIV 93, 1. Eodem sensu adhibetur fama VIII 28, 2; IX 43, 5; 71, 1; 101, 2. Praeterea hic commemoranda mihi videntur nonnulla metonymia attributivae exempla, quae sunt haec: Sp. 11, 2: *Implicitam visco perdidit ille fugam.* I 96, 8 sq.: *Nativa laudet, habeat et licet semper Fuscos colores, galbinos habet mores,* quem locum sic interpretatur Lindskog [1]: 'qui tropus ut expediatur, cogitatione adicienda est notio vestis, quomodo ad hanc sententiam pervenimus: mores hominum, qui veste galbini coloris utuntur'. Deinde addo IX 16, 1, ubi speculum dicitur 'consilium formae', nimirum quia de forma consuli solet; VIII 68, 5: *Condita perspicua vivit vindemia gemma,* ubi vindemia significat uvas, quod idem habes I 26, 5; II 85, 1: *Vimine clusa levi niveae custodia coctae,* ubi custodia sumitur pro lagona custodita; VIII 30, 7: *Quod nisi rapta foret nolenti poena,* i. e. ignis, in quem manus comburenda immissa erat; XI 22, 2, ubi basia ponuntur pro ore vel potius labris. Denique huc redit, quod ius legitur pro iudicio I 103, 11; XII 97, 10.

Contraria fere forma ea est, qua causa occurrit pro re effecta usurpata. Sic gelu exstat pro glacie IV 59, 4; XII 60, 12; litura pro macula vel menda VII 18, 2; caedes pro sanguine IX 70, 4; XIV 4, 1; vindemia pro vino I 56, 1; VI 27, 9; VII 54, 3; vox vel voces pro iis quae pronuntiantur Sp. 3, 11; II 67, 2; IV 27, 3; 30, 7; VI 23, 3; 58, 8; VII 64, 9; 69, 2; VIII 11, 2; 65, 6; IX 1, 6; X 6, 8; XI 43, 1; 60, 7; 104, 11; XII 97, 8; alea pro victoriae praemio IV 66, 16; ruina vel ruinae pro ruderibus vel fragmentis I 82, 2; V 74, 4; VII 19, 3; XIII 25, 2; quo eodem sensu usurpatur strages IX 75, 4; proventus pro fructibus IX 98, 1; ieiunia pro ieiunantium gravi anima IV 4, 7; esuritio pro fame V 78, 18. Neque huc non pertinet, quod gradus sumuntur pro scalis XI 82, 4; pro sedilibus V 14, 1; 41, 4. Praeterea eodem e genere sunt talia: I 99, 6 sq.: *Atque intra, puto, septimas Kalendas Mortes hoc tibi quattuor dederunt,* i. e. hereditates mortuorum; IV 4, 11: *Quod vulpis fuga* (sc. *olet*), i. e. quod lotium olet a vulpe fugiente

---

1) p. 51.

in canes urgentes effusum; V 42, 3: *Debitor usuram pariter sortemque negabit,* i. e. fenus, quod idem usura significat XI 108, 3; V 62, 7: *Sit tamen hospitium nobis commune duobus,* ubi hospitium designat deversorium, ut etiam IX ep. praef. 6; VIII 56, 18: *Thestylis et rubras messibus usta genas,* i. e. calore aestivo.

§ 9. Pergo nunc ad exempla, quibus res, quae sensibus non percipiuntur, sed mente potius intelleguntur, aliae pro aliis exstant. Ac primum quidem proferam exempla a temporis notionibus petita, quae sunt haec: noctes pro somniis VII 54, 4: *Exorat noctes dum mihi saga tuas;* nox pro convivio nocturno VIII 45, 5; 50, 2; pro somno X 47, 9; mane pro salutationibus matutinis VII 39, 1; autumnus pro messe vel vindemia X 94, 6; XII 57, 22; XIII 113, 1; messes pro diebus aestivis V 71, 5; messis pro aestate vel anno I 101, 4; VI 28, 8; X 12, 5; 103, 7; XII 34, 1; XIV 145, 2. Quibus adiungo, quod anni sumuntur pro senectute IV 7, 3; XI 81, 3. Denique, quamquam minus huc pertinet, tamen vix licet plane disiungere, quod vita legitur pro vitae ratione et institutione, quam significationem habes I 4, 8; 15, 12; 55, 13; 93, 5; III 99, 2; IV 66, 1; V 20, 4; VIII 35, 1; IX 28, 5; X 23, 8; 92, 1; XII 96, 1. Simili sensu usurpatur vox 'vivere', qua de re conferas I 15, 11 sq.: *Non est, crede mihi, sapientis dicere 'Vivam': Sera nimis vita est crastina: vive hodie*[1]). Idem habemus I 103, 3; 12; II 90, 3; 4; III 30, 5; V 20, 14; 58, 1; 7; 8; 64, 5; VI 27, 10; VII 47, 11; VIII 44, 1; 3; 77, 7; X 38, 9; XII 17, 9; 60, 6.

Iam vero causa ponitur pro re effecta, quam ad formam pertinent talia: timor pro fuga I 104, 14; somni pro somnio VI 53, 4; XI 50, 8; vota vel votum pro promissis vel devotis IX 17, 3; 31, 4; 40, 8; 42, 8; XII 90, 6; virilitas pro genitalibus vel vi genitali IX 6, 5; rusticitas pro moribus rusticis VII 58, 8; scelus pro facinore nefario I 18, 5; III 66, 1; IX 6, 3; 25, 3; 41, 3; pro calamitate vel casu adverso VII 14, 1; fata vel fatum pro morte I 42, 4; 78, 6; 9; II 11, 6; IV 18, 5; 60, 5; V 10, 12; VI 63, 7; IX 56, 10; 82, 3; 86, 1; 9; X 71, 2; XI 33, 1; 67, 1; 69, 8; 12; 82, 3; 91, 10.

---

1) Plurima huius generis exempla composuit Friedl. in adnot. ad v. I 15, 4.

*

Transgrediamur ad contrariam formam, quae exstat in his: discrimen pro pugna Sp. 12, 1; 29, 7; pro periculo VII 45, 10; laus pro merito Sp. 27, 11; laudes pro virtutibus IV 51, 5; decus pro rẹ egregie gesta VIII 30, 9; terrores pro dominatione vel tyrannide, quae terrorem incutit IX 43, 11; lucrum pro avaritia X 41, 8; funera pro morte VI 15, 4.

§ 10. Priusquam ad finem pervenio huius opusculi, nonnulla mihi liceat addere de tertio metonymiae genere duobus illis, quae adhuc absolvi, quasi opposito. Saepius enim tropus non singulis verbis conficitur, sed pluribus explicatur, ita ut tota sententia per metonymiam exprimatur. Huiusmodi exempla eo genere continentur, quo sequentia e praecedentibus, praecedentia e sequentibus (*ἀπὸ τοῦ προηγουμένου τὸ ἀκόλουθον, ἀπὸ τοῦ ἀκολούθου τὸ προηγούμενον*) intelleguntur [1]), quam formam quamquam veteres synecdochae subiciebant, tamen summo iure ad metonymiam referre mihi videtur Lindskog [2]). Quibus praemissis ad exempla huius tropi, quae apud Martialem repperi, transeo enumeranda. Sp. 3, 5 sq.: *Et qui prima bibit deprensi flumina Nili, Et quem supremae Tethyos unda ferit,* i. e. qui prope Nilum et Oceanum habitant; VII 88, 6: *Qui Nilum ex ipso protinus ore bibunt,* i. e. qui ad ripas Nili habitant; I 26, 5: *Non haec Paelignis agitur vindemia prelis,* i. e. non bibis vina Paeligna; I 66, 8: *Quae (charta) trita duro non inhorruit mento,* i. e. quae nondum legebatur; I 107, 7: *In steriles nolunt campos iuga ferre iuvenci,* i. e. agros steriles non libenter arant; IV 33, 4: *Tempus erat iam te, Sosibiane, legi,* i. e. iam pridem te mori oportebat; IV 57, 5: *Horrida sed fervent Nemeaei pectora monstri,* i. e. sed ingens fervet aestus Augusto mense, quo sol ingreditur signum leonis; IV 78, 1: *Condita cum tibi sit iam sexagesima messis,* i. e. cum iam natus sis sexaginta annos; VI 70, 1 sq.: *Sexagesima, Marciane, messis Acta est et, puto, iam secunda Cottae,* i. e. sexaginta duo annos natus est Cotta; V 23, 8: *Aut meus ante omnes Cordus haberet equum,* i. e. aut Cordus meus eques esset; VII 80, 2: *et tetricae conticuere tubae,* i. e. et bellum est compositum;

---

1) Cf. Quintilian VIII 6, 19; Tryphon: *περὶ τρόπων* (Rhet. Graeci, ed. Spengel. III p. 196).

2) p. 60 sq.

VIII 28, 3 sq.: *Appula Ledaei tibi floruit herba Phalanthi, Qua saturat Calabris culta Galaesus aquis? An Tartesiacus stabuli nutritor Hiberi Baetis in Hesperia te quoque lavit ove? An tua multifidum numeravit lana Timavum, Quem pius astrifero Cyllarus ore bibit?* i. e. lana tibi est Tarentina an Hispanica an Aquileiensis? VIII 44, 11: *Centum explicentur paginae Kalendarum,* i. e. a centum debitoribus usurae exigantur singulis Kalendis; VIII 45, 4: *Amphora centeno consule facta minor,* i. e. vinum centum ante annos conditum; IX carm. praef. 8: *mihi parva locuto Sufficit in vestras saepe redire manus,* i. e. mihi abunde sufficit, si carmina mea crebro a vobis legantur; IX 22, 3 sq.: *Ut Setina meos consumat gleba ligones Et sonet innumera compede Tuscus ager,* i. e. ut arem et colam vineas Setinas, et ut innumeri servi compedibus vincti opus faciant in meis Etruriae agris; IX 90, 11 sq.: *Messes area cum teret crepantes Et fervens iuba saeviet leonis,* i. e. cum sol messis tempore, mense scilicet Augusto, summos excitet calores; IX 101, 6: *Addidit Arcadio terga leonis apro,* i. e. et aprum interfecit et leonem; X 14, 6: *Cum tua Niliacus rura colonus aret,* i. e. cum habeas multos fundos in Aegypto; XI 16, 5: *O quotiens rigida pulsabis pallia vena,* i. e. quotiens in venerem sollicitaberis. Quibus adiungo I praef. 15 sq.: *Epigrammata illis scribuntur, qui solent spectare Florales,* i. e. ut Lindskogii verbis [1]) utar: 'quorum mores non nimis sunt severi'. Ad poesin spectant haec: I 76, 13 sq.: *Illic (in foro) aera sonant: at circum pulpita nostra Et steriles cathedras basia sola crepant,* i. e. in causidicorum munere magnum lucrum est; poesis autem fructum non affert; IV 23, 6 sq.: *Qui si Cecropio satur lepore Romanae sale luserit Minervae,* i. e. si ab epigrammatis Graecis ad latina se contulerit componenda; IV 49, 8: *Musa nec insano syrmate nostra tumet,* i. e. stilus meus non est tragicus; VIII 70, 3 sq.: *Cum siccare sacram largo Permessida posset Ore, verecundam maluit esse sitim, Pieriam tenui frontem redimire corona Contentus, famae nec dare vela suae,* i. e. cum ceteros poetas vincere potuisset, tamen non scripsit egregia poemata, sed levibus in argumentis versatus est; XII 94, 3 sq.: *Transtulit ad tragicos se nostra Thalia cothurnos, Aptasti longum tu quoque syrma tibi; Fila lyrae movi Calabris exculta Camenis Plectra rapis nobis, ambitiose, nova,* i. e. cum scriberem

---

1) p. 62.

tragoedias, tu quoque te ad eas contulisti; cum lyrica componerem, tu quoque ea attigisti; XII 11, 2 sq.: *Nam quis ab Aonio largius amne bibit? Cuius Pimpleo lyra clarior exit ab antro? Quem plus Pierio de grege Phoebus amat?* i. e. quis est poeta nobilior? Similia sunt talia: VII 63, 3 sq.: *Pierios tantum vati placuisse recessus Credis et Aoniae Bacchica serta comae? Sacra cothurnati non attigit ante Maronis, Implevit magni quam Ciceronis opus,* i. e. credisne Silium tantum poesi vacavisse? immo ad eam non accessit, priusquam optimum oratorem expresserat; VII 63, 12: *Proque suo celebrat nunc Helicona foro,* i. e. pro causis agendis iam poesi vacat; XII 6, 2: *licet toto nunc Helicone frui,* i. e. licet libere poesi vacare. — Hinc etiam fluxisse videtur, quod 'Helicon' poetarum munus absolute significat I 76, 9 quem locum supra iam commemoravi. Saepissime m o r s eo modo significatur, quam ad rem conferas haec: I 88, 9: *Cum mihi supremos Lachesis perneverit annos;* I 93, 2: *Qui prior Elysias gaudet adisse domos;* I 101, 5: *Ne tamen ad Stygias famulus descenderet umbras;* I 101, 10: *Dixit ad infernas liber iturus aquas;* I 114, 5: *Ad Stygias aequum fuerat pater isset ut umbras;* IV 60, 4: *Inter laudatas ad Styga missus aquas;* IV 73, 2: *Et iam per Stygias esset iturus aquas;* V 25, 6: *Quis Stygios non vult totus adire lacus?* VI 58, 3 sq.: *O quam paene tibi Stygias ego raptus ad undas Elysiae vidi nubila fusca plagae;* VI 58, 7: *Si mihi lanificae ducunt non pulla sorores;* VII 47, 4: *Gustata Lethes paene remissus aqua;* VII 96, 4: *Ruperunt tetricae cum male pensa deae;* VII 96, 7: *Sic ad Lethaeas, nisi Nestore serius, undas Non eat;* IX 29, 2: *Rapta es ad infernas tam cito Ditis aquas?* IX 51, 3 sq.: *Invidet ille tibi; Stygias nam Tullus ad undas Optabat, quamvis sit minor, ire prior;* IX 65, 9 sq.: *Oetaei sine lege rogi securus adisses Astra patris summi, quae tibi poena dedit;* X 5, 10: *At cum supremae fila venerint horae;* X 24, 10: *Lucos Elysiae petam puellae;* XI 69, 11: *Nec queror infernas quamvis cito rapta sub umbras;* XI 84, 1: *Qui nondum Stygias descendere quaerit ad umbras;* XII 52, 11: *Accipient olim cum te loca laeta piorum;* XII 90, 3: *Si Stygias aeger non esset missus ad umbras.* Denique m o r s v o l u n t a r i a designatur I 78, 4: *Decrevit Stygios Festus adire lacus.*

Vita.

Natus sum Ricardus Fenger die 24. mensis Augusti anni 1881 Crefeldae, patre Adamo, matre Maria e gente Kessel, quos superstites esse maxime gaudeo. Fidei addictus sum catholicae. Primis elementis imbutus gymnasium patriae urbis adii, ubi vere anni 1900 maturitatis testimonium adeptus sum. Deinde studiis philologicis me dedidi Monasterii per quattuor, Ienae per septem semestria. Monasterii me docuerunt viri doctissimi Deiters, Hagemann, Hosius, Kappes, Koepp, Schwering, Sonnenburg, Stahl, Streitberg; Ienae Cloëtta, Dove, Eucken, Goetz, Hirzel. Philologorum proseminario Monasteriensi per ter sex menses interfui; seminarii philologorum Ienensis per tria semestria fui sodalis ordinarius. Praeterea seminarii geographici Ienensis exercitationibus ut interessem per ter sex menses benigne mihi concessit Dove.

Quibus viris doctissimis omnibus gratias ago quam plurimas, praecipue tamen Georgio Goetz, qui studiorum meorum fautor semper benevolentissimus exstitit.

Photomount
Pamphlet
Binder
Gaylord Bros., Inc.
Makers
Stockton, Calif.
PAT. JAN. 21, 1908

851328

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY